
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

AD GAI SALLUSTII CRISPI

QUAE SUPERSUNT

SPECIMEN OBSERVATIONUM

ALOISII CIOFI ADVOC.



VITERBII
EX TYPOGRAPHIA MONARCHI


1879

AD GAI SALLUSTII CRISPI


QUAE SUPERSUNT

SPECIMEN OBSERVATIONUM

ALOISII CIOFI ADVOC.



VITERBII
EX TYPOGRAPHIA MONARCHI
—
1879


HARVARD COLLEGE
JAN 6 1910
LIBRARY

LECTORI BENEVOLO

ALOISIUS CIOFI



Quo consilio et quibus subsidiis hasce Observationes susceperim atque absolverim, praemonendus paucis es, Lector. Non ego magna et gravia polliceor, nec quae novitate inventorum percellant; haec nemo a me expectet ne postea falsus habeatur. Sed quia vidi multas doctorum Virorum interpretationes et coniecturas, me quidem iudice, non satis probabiles, eo animus suasit ut quae sentirem libere proferrem, studiosis praesertim adolescentibus qui in lectione veterum Scriptorum ab Interpretibus adiumentum quaerunt. Praecipuum mihi fuit in verba et sententiam Auctoris inquirere, quibus prave intellectis tota res perit; quamquam et aliquas emendationes, praesertim in locis varie vexatis, vel propter incertam significationem, vel propter Codicum dissensum, proposuerim. Non tamen mens fuit illa complecti quae, quamquam difficilia et interpretis egentia, sunt satis illustrata doctis aliorum commentationibus, sed ibi posui diligentiam ubi vel ab iis dissentirem, vel aliquid addendum putarem. Et saepe proprietatem verborum et locutiones, etiam auctoritate Poëtarum veterum aut eiusdem aevi confirmavi, quod nec novum quis existimet, nec factum inopia

melioris testimonii, nam fecit et *Cicero*, qui *lib.* 3. *de Orat.*, tradens praecepta bene dicendi, a *c.* 38. *ad finem*, exempla petit fere omnia a poëtis, et *ibid. c.* 10. affirmat omnem loquendi elegantiam augeri legendis oratoribus et poëtis, quia veteres illi, *omnes* prope, praeclare locuti sunt. Praeter Antiquiores qui in Sallustio illustrando operam utilem impenderunt, habui prae manibus *Cortium edit. Venet. a.* 1737. per *Paschalium, Burnoufum ed. Florentiae, a.* 1829, *Gerlachium edit. Wieland. Basileae a.* 1823., et *min. edit. Lipsiae* 1856, *Dietschium ed. Teubner. Lipsiae a.* 1859. *et min. ed. Lipsiae* 1874., cuius divisionem sequutus sum in capitibus et in eorum distinctione per numeros paragraphorum, nec non in codicum demonstratione per numeros aut litteras; idem factum in fragmentis Historiarum. Ceteros ignoro, quamquam viderim *Henricum Iordanum* saepe castigasse *Dietschium*, praefat. ad d. edit. a. 1874.

De proprietate sermonis Sallustiani docte et accurate disseruit *Gerlachius* a p. 307., qui est adeundus. Et cum eo consentio praesertim cum p. 331 ita iudicat.- Quae nonnullorum fuit opinio, plurima apud Sallustium ex Graecis esse translata, ea solo illorum testimonio refellitur qui in oratione componenda Sallustium priscos Latinos Scriptores inprimisque Catonem secutum esse comprobaverunt.- Dum paucae supersunt Antiquiorum reliquiae, soluta oratione, ad quos comparatio possit institui, tamen habemus, rei p. litterariae bono servatas, plures, et integras comoedias *Plauti et Terentii*, cum quibus Sallustius in multis convenire perspicitur; quod non imitationi tribuerim, sed quia hoc ferebat Sallustii ingenium, qui semper invenitur sui similis et in suo genere princeps, ut quidquid aut addideris aut mutaveris aut detraxeris, vitiosius et deterius sit futurum.

Praeter multa quae suis locis animadversa sunt, profero, quae sequuntur, similitudines; *grassari* pro *iter facere, incedere* Sall. Iug. 1. 3., Plautus Rud. 1. 4. 31.; *omissa cura* pro *remissa, laxiore* Sall. Hist. 1. 48. 3. Orat. Philippi, Terent. Heaut. 5. 2. 9., Adelph. 5. 3. 45.; *cum animo volvere, habere, trahere* Iug. 6. 2., 11. 3., 93. 1., 108. 3., 113. 1., Terent. Adelph. 3. 5. 55.; *iuxta mecum intelligitis* Cat. 58. 5., Plaut. Trinum. 1. 2. 160. Pseud. 4. 7. 62., Pers. 2. 2. 67. et 4. 3. 75.; *rem omnem uti acta erat cognovit* Iug. 71. 5., vel ita *omnia uti gesta erant aperit* Cat. 45. 1. et Cat. 47. 1., Plaut. Menaechm. 3. 2. 53., Terent. Hecyr. 3. 5. 18.; *lacerare bona patria, vexare pecuniam* Cat. 5. 8. 14., 2., Hist., 1. 48. 6. Orat. Philippi, Plaut. Merc. 1. 1. 48., Persa 5. 2. 4.; *pollens potensque* Iug. I. 3., Plaut. Asin. 3. 3. 46., Casin. 4. 4. 3., Rud. 3. 2. 4.; *honore honestare* Cat. 35. 3., Plaut. Captiv. 2. 1. 50., 2. 2. 106., 2. 3. 32.; *gratiam facere delicti*. Cat. 52. 8., Iug. 104. 4., H. 3. 63., Plaut. Trinum. 2. 2. 15.; *quaesere* Hist. 1. 52. et 117., Hist. 2. 96. 8. Epist. Pompei, 3. 61. 13. Oratio Macri, 4. 61. 1. Epist. Mithrid., Plaut. Bacchid. 2. 2. 1. ubi vide Scaliger.; *qui se se student praestare*. Cat. I. 1., Terent. Eunuch. Prol. 1.; *in potestatibus temperare* Iug. 85. 9., Plaut. Epid. 1. 2. 8. Conveniunt et in usu ac significatione verborum *mitto, amitto, omitto*; *ne pro nedum* Cat. 11. 8., H. 2. 9., Pl. Amph. 1. 1. 174., Terent. Andr. 4. 2. 23.; *ea gratia* pro *ea causa*. Iug 54. 4., 80. 4.; *probri gratia* Cat. 23. 1., Pl. Amphitr. 2. 2. 32., Trucul. Prol. 9., Ter. Andr. 2. 6. 2. et 3. 4. 8.; *ex sententia*, sine adiectione pronominis Iug. 38. 4., 43. 5., 109. 4., item *ex voluntate* Cat. 26. Iug., 46. 4., Plaut. Aulul. 4. 1. 3., Mil. glor. 4. 1. 1., Captiv. 2. 2. 97., Mercat. 1. 1. 93., Terent. Adelph. 3. 4. 8. et 57., Hecyr. 5. 4. 32.; *de integro* Iug. 62. 9., Terent. Adelph. 1. 2. 73.; *senecta aetate, corpore* H. 4. 63., H. inc. 115., Plaut.

Amphit. 4. 2. 12., Aulul. 2. 2. 75., Casin. 2. 3. 23., Mercat. 5. 4. 25., Trinum. 1. 2. 5.; *quo loco res sunt* pro *quo in loco* Cat. 58. 5., Terent. Adelph. 3. 2. 46., et post Terentium Horatius Epist. 1. 12. 15., collato tamen Phormione 2. 4. 6. et 3. 1. 9., *unde,* non solum de loco, sed et *a quo, a quibus* Iug. 14. 28., Hist. inc. 3. 59., Plaut. Mercat. 2. 3. 83., Trucul. 1. 1. 42., Terent. Eunuch. Prol. 11.; *ob rem* pro *in rem, cum fructu* Iug. 31. 5., Terent. Phorm. 32. 41; tum multae dicendi formae communes, *ut orare per incerta humani generis* Hist. 1. 19., Plaut. Captiv. 2. 1. 48.; *fides fluxa* Iug. 111. 2., Plaut. Capt. 2. 3. 79.; *siquid alicui humani eveniat*, pro *moriatur*, ad vitandum verbum mali ominis, Hist. 5. 16., Plaut. Poenul. 5. 2. 125., Trinumm. 1. 2. 120.; *bene parta* Cat. 51. 42., Plaut. Trinumm. 2. 2. 66.; *voluntate* pro *sponte* Iug. 13. 2., Plaut. Mil. gl. 2. 5. 40.; *in manu est alicui*, i. e. in *potestate in promptu* Iug. 14. 4., Plaut Amphitr. 2. 1. 14., Terent. Hecyr. 3. 5. 43. et 4. 4. 44.; *solet*, ut Graecum φιλεῖ, ut *in tali re solet*, Iug. 25. 3., 59. 3., 66. 2., 71. 2., Cat. 29. 2., 30. 2., H. 1. 74., 3. 42., 68. 73., Terent. Eunuch. 5. 5. 15.; *idem fit ceteris* pro *de ceteris*, Cat. 55. 2. et 52. 25., Plaut. Capt. 5. 3. 1., Mercat. 2. 3. 78. et 5. 2. 27., Stich. 2. 2. 4., Truc. 4. 3. 25., Terent. Hecyr. 4. 4. 46., Eun. 5. 1. 21.; *idonei*, dictum de iis in quos aliquid iure ac merito fieri potest, Cat. 51. 27., Terent. Andr. 3. 2. 12. et 4. 4. 18.; *quam plures* pro *complures* Sall. ex Codd. Cat. 19. 2., Plaut. Stich. 1. 3. 44. Multa sunt alia huiusce generis, quae legendo comperias.

Habes, benevole Lector, instituti mei rationem; nunc me, saepe dissentientem a ceteris, non argue quasi audacem et importunum, sed habe studiosum veritatis. Vale.

Dabam mense Februario A. 1879.

Primo ambigitur *Sallustius* an *Salustius* scribendum sit. Marmora ut plurimum exhibent *Sallustius* et *Sallustianus*, Codices probati, non tamen omnes, per unam *l* efferunt; item graeci Scriptores Σαλούστιος habent. Gerlachius qui *Salustium* probat, ab etymologia auxilium petit; nam *Salustius*, ait, haud dubie a *salus* derivandum, ut *Rustius* a *rus*. Quod argumentum infirmum puto, nam si ita esset, prima syllaba, sine duplici *l*, aliquando in versibus inveniretur brevis, quod contra est, vide *Horatium C.* 2. 2. 3., *Satir.* 1. 2. 48. Neque id metri necessitati tribuendum, ut in vocibus *relligio*, *relliquiae*, quia *Salustius*, prima brevi, cuicumque metro convenit, ut *Propertius, Terentius*. Senarium *Avieni in ora maritima* 35. — Situs quis esset aequoris, Salustium, Noram id dedisse - non moror, quia sedes syllabae admittit et longam. *Dietschius* dedit *Sallustius*, *Gerlachius* scripsit una *l*.

Deinde mutandusne sit ordo nominis et cognominis et pro vulgato G. Crispus Sallustius sit invertendum G. Sallustius Crispus, quaeritur. Auctoritas *Taciti Annal.* 1. 6. 2. 10., 2. 40. *et* 3. 30., *Scriptoris de bello Africano c.* 8., *Asconii Pediani in Ciceron. or. pro Milone, Ampel. lib. mem. c.* 30., aliquot inscriptionum, facit ut ordo inversus sit tenendus, et ita dederunt *Gerlachius et Dietschius*.

Titulus libri, in codicibus et veteribus Grammaticis, nunc inscribitur *de coniuratione Catilinae*, nunc *bellum Catilinarium*, nunc *Catilinarium*, nunc *Catilina*. Praevalet inscriptio *de Catilinae coniuratione*, quae Auctoris verbis confirmatur *cap*. 4. Hanc tenuerunt *Gerlachius* et *Dietschius*.

C. 2. 1. « pars ingenium, alii corpus exercebant » Quod hic notat *Kunhardtus* - hae voces semper sibi invicem ab Auctore nostro opponuntur, nunquam autem pars... pars, nec etiam alii... alii. - refellitur testimonio ipsius Auctoris, vide *Iug*. 14. 15., 33. 3., 39. 1., 58. 6.

C. 2. 8. « eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo quoniam de utraque siletur. » Illud praecipue vult *Sallustius* ut *memoria* nostri quam maxume longa efficiatur ingenii opibus, *C*. 1. 4., et praeclari facinoris aut artis bonae *fama* quaeratur, *C*. 2. 9. Silentium recte aequiparatur morti, quod de ipsa virtute praedicat *Horatius*, si de ea siletur, *Carm*. 4. 9. 29. - Paulum *sepultae* distat inertiae Celata virtus. - inde *obliviones lividae vv*. 34. 35., et *taciturnitas invida C*. 4. 8. 24.

C. 2. 2. « sua cuique satis placebant » Forma haec dicendi redit *Iug*. 64. 2.

C. 2. 9. « Is demum mihi vivere et frui anima videtur qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit « Constructionem verbi *intentus* saepius invenies cum dativo quam cum ablativo, *Cat*. 54. 4. - negotiis amicorum intentus - et *Cat*. 4. 2. item *Iug*. 89. 3. nec non 76. 2., 94. 3. Ita et *Horatius Epist*. 1. 2. 36. - Intendes animum studiis et rebus honestis -, quod et *Carm*. 4. 4. 13., *Epist*. 2. 3. 458., *Satir*. 1. 5. 84. *Caesar B. G*. 3. 22. cum praepositione *in* - aeque in ea re omnium nostrorum intentis animis -; usurpat etiam cum praepositione *ad*, *B. G*. 3. 26. - mentibusque ad pugnam intentis. - Quocirca aliqui Interpretes statuerunt *aliquo* ex *aliquoi* esse corruptum; alii, quos inter *Burnoufus*, suspicantur *aliquo* esse antiquam formam dativi, ut *nullo*, *solo*; *Dietschius Comm*. *C*. 5. *pag*. 100. vult ablativum *aliquo negotio* coniugendum esse cum *quaerit*, ut significet, *non sine aliquo labore quaerit*, quod ad sententiam aptissimum

esse adfirmat, addens – quae enim fama eum consequetur qui sine ullo labore et cura famam quaerat? Ac talem Scriptoris sententiam fuisse inde elucet, quod statim quam arduum sit res gestas scribere, quantum laboris ac intentionis id requirat, exponere incipit – Videntur tamen verba *aliquo negotio*, iniuria esse abstracta a voce *intentus*, et optime dici posse – mihi intenditur animus, negotiis –, eodem modo quo *Sallustius* dixit socordia et desidia vires et ingenium diffluere atque torpescere, *Iug*. 1. 4. et 2. 4. Ita intellexisse patet *Arusianum* qui affert hunc locum *Sallusti* – intentus illa re, Sallustius Catil, qui aliquo negotio intentus – Cf. *Terent. Andr*. 2. 1. 3. – Ut animus in spe atque timore attentus fuit. – Illud interest inter duas formulas – alicui negotio intentus, et aliquo negotio intentus – ut in priore *intentus*, sit adiectivum, in altero participium passivum, ut *Hist*. 1. 48. 12. – intenta mala – et *Cicer*. pro *Sextio* 19. – *intenta signa legionum cervicibus*. – et *Lucretius R. N*. 6. 108 – Carbasus ut quondam magnis intenta theatris –; ut illa indicet curam adhibitam alicui rei, haec exhibeat negotium ipsum quod *exercet* animum, vimque in illum intendit.

In *Dietschii* interpetratione supra memorata, primum dubito an satis latine verba – aliquo negotio quaerit – torqueri possint ad significationem – *non sine* aliquo labore quaerit – nam exempla quae afferuntur ad formam dictionis sustendandam respiciunt vel *nihil* negotii vel *multum* negotii; cf. et *Caesarem B. G*. 5. 11 – magno negotio – et 5. 38 – nihil esse negotii –. Sed quod magis est, illa verba vim significationis minuunt hic ubi erat augenda, et dant sententiam infirmam. Cui enim auditum est aliquo, parvo, labore praeclara facinora edi posse et famam quaeri? *Sallustius* ipse statim post, exemplo utens, exponit esse *in primis arduum* res gestas scribere; vulgatissimam sententiam fere omnes Scriptores extulerunt, *Horat. Sat*. 1. 9. 59. – Nil sine *magno* – Vita labore dedit mortalibus –. Vocem *aliquid* incertum praeseferre et vacuum, senties ex *Plauto Curcul*. 2. 3. 41. *seq*., *Epidic*. 3. 1. 10. seq., *Mercator*. 2. 4. 25. *et* 26., quem locum non bene interpretatos censeo

Gruterum et *Passeratium*. *Terentius Andr.* 2. 1. 14. - id aliquid nihil est. -

C. 3. 2. « in primis arduum videtur res gestas scribere: primum quod facta dictis *exaequanda* sunt » Haec verba, ex Antiquioribus, ita explicat *Kunhardtus* - verbis ita rem exprimere oportet ut neque *nimis* laudentur honesta, nec turpia *nimis* vituperentur, utque lector quid et qua ratione aliquid factum sit intelligat -. Mihi videntur verba ea, quae *generalia* sunt, ad laudem aut vituperationem non esse cohibenda. Scilicet *Sallustius* qui antea posuerat differentiam inter actorem et scriptorem rerum, vult nunc ut scriptor, quamquam nihil faciat, tamen ita rem oculis subiiciat, ut quasi facere videatur quae narret, et lector factis ipsis interesse sibi videatur, quod de oratore dixit *Cicero* de *Orat.* 3. 53. - Permultum movet illustris explanatio, rerumque *quasi gerantur* sub aspectum paene subiectio, ut iis qui audient, illud quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, *tantum esse videatur* - et *c.* 56. vult oratorem esse veritatis *actorem* - Idem de pictore *Horatius Satir.* 2. 7. 97. - miror - Praelia rubrica picta aut carbone; velut si *Re vera* pugnent, feriant, vitentque moventes Arma viri. -

C. 3. 4. « tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur » *Dietschius Comm. C.* 5. *p.* 101. putat *ambitione corrupta*, esse intelligenda casu ablativo ita ut ipsa ambitio corrupta dicatur, idest *prava, pervorsa*, et *tenebatur* artissime iungendum cum *inter tanta vitia*, eodem modo quo quis dicitur *inter claustra teneri*. Nusquam, credo, invenietur ambitionem aut aliud vitium dictum esse *corruptum;* isthec vox convenit moribus, animis, hominibus qui se praestare possunt integros; dum contra vitium numquam non est malum. *Sallust. Hist.* 1. 12. - iuventus luxu atque avaritia corrupta est. - Verba Auctoris ita interpretanda videntur - quamquam animus meus insolens malarum artium aspernaretur vitia audaciae, largitionis, avaritiae, tamen propter imbecillam aetatem, inter tanta vitia, tenebatur curruptus ambitione, idest *erat* obstrictus corruptela ambitionis; quasi dicat: non mirum si contactu tantorum vitiorum haeserit mihi ambitio, cum

ab aliis essem vacuus – Teneor ambitione corruptus idem est ac *obsessus teneor Iug.* 24. 3., Cf. *Cat.* 53. 5., *H.* 1. 12., *Iug.* 31. 2., Lucret. 1. 330., 2. 938., 4. 887. Eadem fere vis est verbi *habeo* ut in illo *Plauti Epid.* 4. 1. 3. – multiplex aerumna me exercitam habet – *Cist.* 4. 2. 3., *Cas.* 2. 2. 15.

C. 3. 5. « nihilo minus honoris cupido eadem quae ceteros, fama atque invidia vexabat » In hanc lectionem conveniunt libri optimi et vetustissimi, ut testatur *Dietschius Com. C.* 2. *p.* 15., qui tamen coniicit legendum essse – honoris cupido eadem eademque quae ceteros – Quamquam inde aliquid ingrati soni ad aures accidat, tamen emendatio probabilis esset, nisi lectio codicum satis idonee defendi posset, hoc sensu – quamquam ego ab aliorum malis moribus dissentirem, tamen et cupido honoris et inde fama atque invidia me vexabat, eadem quae ceteros vitiis obrutos – quod congruit antecedentibus, *C.* 3. 3, ubi ait sibi in republica multa advorsa fuisse. Ita tum honoris cupido, tum fama atque invidia sunt nominativi, nec nocet singulare *vexabat* post plura nomina, hoc enim et omnibus Latinis scriptoribus solitum, et maxime *Sallustio*, cf. *Cat. C.* 12. 1., 14. 3., 25. 3. et 5., 58. 4. Nec minus proprie *vexabat* complectitur et ambitionem, et famam atque invidiam, nam recte vitia dicuntur vexare hominem, ut de cupidine *Horat. Epist.* 1. 18. 98., de furore *Epist.* 2. 2. 90., de avaritia *Sallust. Cat.* 5. 6., quod vitium saepe coniungit cum ambitione, *Cat.* 10. 3. *ad* 6., 11. 1. *ad* 4., *Hist.* 1. 9.; idem de malo rumore et invidia, *Cicero* pro *Sextio* 28. – Cato Pisonem verbis vexavit, – et pro *Flacco* 20. 48. – probris maledictisque vexare –, *Horatius Epod.* 7. 1., et cum affini verbo *urgere*, *Sallust. Iug.* 35. 2. – Iugurthamque ob scelera invidia cum metu urgeat. –

C. 5. 1. « Lucius Catilina nobili genere natus fuit, magna vi et animi et corporis » *Gerlachius* interpungit ita – natus, fuit magna vi etc. – Probanda prior interpunctio, tum propter simile exemplum *Sallustii Iug.* 95. – Igitur Sulla gentis patriciae nobilis fuit, familia prope iam extincta etc. –, tum quia ita attentio statim defigitur in originem, et clarius elucet differentia inter nobilitatem

generis et nequitiam morum quos postea describit. *Tacitus Annal.* 4. 1. eodem colore originem et mores Seiani prosequutus est.

C 5. 3. « corpus patiens inediae, algoris, vigiliae supra quam cuiquam credibile est » Vide eadem de Mario *Iug.* 85. 34. Haec pertinent ad verba 5. 1. - magna vi et animi et *corporis* - Cicero Catil. 2. 5. - Idem tamen (Catilina) stuprorum et scelerum exercitatione assuefactus, frigore et fame et siti ac vigiliis perferendis, fortis ab istis praedicabatur, cum industriae subsidia atque instrumenta virtutis in libidine audaciaque consumeret - Tangit et *Catil.* 1. 10.

C. 5. 4. « animus... cuiuslibet rei simulator ac dissimulator » Exempla simulationis vide *Cat.* 17. 1. ubi Catilina opes suas et praemia coniurationis exaggerat, vide et 53. 3.; dissimulationis exemplum est *Cat.* 31. 4. *ad* 7. ubi in pluribus animi propositum tegit. *Iug.* 95. 3. laudatur Sulla propter incredibilem altitudinem ingenii ad *simulanda negotia,* quod suo loco expendetur.

C. 5. 6. « Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxima invaserat rei publicae capiundae » Capere rem publicam est eam malis artibus, etiam vi, occupare: recipere est recuperare, vindicare et in pristinum statum restituere, quod *Sallustius* praedicat de Sulla *C.* 11. 4. propter ereptam factiosis rem p., et quia initio partes bonas tueri videretur.

C. 5. 9. « Res ipsa hortari videtur... supra repetere ac paucis instituta maiorum... quomodo rem publicam habuerint quantamque reliquerint et ut paulatim immutata ex pulcherruma atque optuma pessuma ac flagitiosissuma facta sit disserere » *Gerlachius* hic *disserere* cum accusativo duriusculum esse, *Burnoufus* rarum adfirmat, quo patet eos iungere - paucis instituta maiorum disserere -. Ut hoc incommodum vitetur, alio modo debet componi oratio, nempe - res ipsa hortari videtur supra repetere, ac paucis, quomodo instituta maiorum rem publicam habuerint, et disserere ut paulatim immutata etc. - Codices plures habent *et ut,* vel *atque ut, utque,* quae coniunctio

non est omittenda. Vel compone – supra repetere ac paucis disserere – Huius constructionis exemplum est in *Cat.* 45. 1.

C. 6. 5. « post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant » *Kunhardtus* hic – Minus usitata est haec loquendi ratio. Plerumque auxilium *ferre* dicunt optimae notae scriptores – et *Gerlachius* – *portabant* id est *ferebant*, nam portare proprie quae iumento feruntur, translate apud poëtas – Auxilium *singulari* significat plerumque opem, adiumentum, quod passim occurrit in *Sallustio;* sed *plurali* saepissime adhibetur pro copiis auxilio futuris, pro exercitu, peditum atque equitum numero, *Iug.* 7. 2., 8. 2., 39. 2., 43. 4., 84. 2., *H.* 4. 61. 21. Iam vero quod iuvat exercitum, portari *proprie* dicitur, ut de cibo et armis *Iug.* 45. 2. et *Cat.* 30. 2., de commeatu *Iug.* 75. 3., de pecunia et stipendio *Cat.* 24. 2., *Iug.* 104. 3., de ipsis copiis et exercitu *Iug.* 39. 4., 27. 5., de omnibus quae bello usui sunt *Iug.* 36. 1. Illud interesse video inter duas formulas ut *auxilium ferre* sit laborantibus succurrere in ipso discrimine, *Caesar B. G.* 1. 13., 3. 4.; *auxilia portare* sit vim et opes alterius *augere,* sive ad defendendum sive ad impugnandum, etiam extra discrimen praesens, immo cum notione subsidii e longinquo accersiti aut missi, *Iug.* 39. 2., 53. 3., 84. 2., *Caes. B. G.* 3. 9., 3. 11., 2. 5. *Plautus Cist.* 1. 3. 52. vim vocis respicit – *Augete auxilia* vostris iustis legibus –

C. 7. 6. « sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: sic se quisquem hostem ferire, murum ascendere, conspici dum tale facinus faceret, properabat » Lectionem *sic se quisque* exhibent plurimi Codices, sed *Dietschius,* post *Sellingium*, *Nauckium*, et *Linckerum*, delevit *sic*, quod nullo modo ferri posse putavit. Quamquam ignorem quibus rationibus Docti Viri *sic* eiiciundum censuerint, tamen servandum videtur quia ex eo oratio optime constat cum antecedentibus verbis, ita intelligenda — quia gloriae maximum certamen inter ipsos erat, *inde fiebat ut* quisque ad praeclara facinora properaret, et se in eis conspicuum praeberet. – Post aliquam adfirmationem recte sequuntur quae illam explicent, aut exemplis demonstrent,

adhibito adverbio *sic*, *Horat. C.* 4. 8. 29., *Sat.* 1. 1. 114. *et* 1. 4. 135., *Epist* 1. 18. 41., *A. P.* 400., *coll. Sat.* 1. 1. 117., nec longe differt alius locus *Sallustii Iug.* 65. 5.

C. 8. 1. « fortuna... res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque » *Celebrat* est in *lucem profert*, quod indicat vis verbi et oppositum *obscurat;* quae duo verba coniungit et *Horatius Epist.* 2. 2. 115. 116.

C. 8. 4. « ita eorum qui ea fecere virtus tanta habetur quantum verbis ea potuere extollere praeclara ingenia » *Dietschius, Comm.* 5 *pag.* 102, offensus tautologia *eorum, ea, ea,* censet delendum esse *ea* et legit – ita eorum qui fecere virtus tanta habetur quantum verbis eam potuere extollere praeclara ingenia – ut *fecere* sit *generaliter* dictum de omnibus qui facta produnt. Cui rei obstat connexus orationis; nam cum Auctor ponat Athenis provenisse insignes rerum gestarum Scriptores, et postea affirmet, coniunctione *at*, numquam populo Romano eam copiam fuisse, apparet verba quae in medio sunt solos Athenienses Scriptores, et qui ab illis laudati sunt, respicere; praesertim cum testimonio totius Antiquitatis solae Athenae, in ipsa Graecia, dicantur floruisse eloquentiae laude; *Cicero Bruto Cap.* 13. § 49. – hoc autem studium non erat commune Greciae sed *proprium Athenarum* – cf. *eumdem ibid.* a *C.* 6. ad *seq.* Quin, si qui gratiam rebus comparare vellent, solebant eas Athenis gestas esse dicere, *Plaut. Menaechm. Prol.* 8. – Omnes res gestas esse Athenis autumant, Quo illud vobis Graecum videatur magis – Ceterum *fecere*, absolute positum vix est ut defendi possit, et *Sallustius Cat.* 3. 2. non simpliciter dixit *scriptorem* et *actorem*, sed scriptorem et actorem rerum. Diversa sunt exempla *Cat.* 3. 1. et 8. 5., namque in priore non deest vox *facta,* referenda ad *fecere* et *scripsere*; in altero tum vox *negotiosus* quae praecedit, tum quae sequuntur – sua ab aliis *benefacta* laudari, quam ipse aliorum narrare malebat – satis declarant vim verbi. Tautologia – eorum qui ea – redit *Iug.* 4. 8. – ut eorum qui ea sustinent virtus est – et 31. 10. – neque eos qui ea fecere pudet aut poenitet – et n.° 26 – illis qui ea fecere – *Caesar B. G.* 1. 27. – *eos* in *eo* loco....

Eo postquam Caesar pervenit. - et 4. 6 - *eo* quum venisset *ea* facta cognovit, invitatosque *eos* etc. -

C. 9. 5. « in bello saepius vindicatum est in eos qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius revocati proelio excesserant » Hoc in T. Manlio Torquato vindicatum est, ipso referente *Sallustio Cat.* 52, 30, repetitis eisdem verbis - quod is contra imperium in hostem pugnaverat - *T. Livius* 8. 7. ait T. Manlium necari iussum a Patre quod is - extra ordinem pugnasset - *Cicero pro Sulla C.* 11. M. Torquatum laudat ob id factum. Fertur et alius, prior Manlio, A. Posthumius dictator, filium suum necasse, quod is occasione bene pugnandi captus, *iniussu discesserit praesidio, quanquam victor*, ut refert *Livius hist.* 4. 15. 1., *Valerius Maximus c.* 2. 7., *A Gellius N. A. C.* 17. 21. Romanis ipsa victoria non laeta erat si parta contra imperium, *Joseph B. I.* 6. 13 « ὅτι καὶ τὸ νικᾶν παρὰ 'Ρομαίοις, δίχα παραγγέλματος, ἀδοξεῖται. -

C. 10. 2. « qui labores pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, eis otium divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere » *Dietschius Comm.* 5. *p.* 403, pro *optandae* emendat *optanda* ex unius Codicis P. fide, quamquam omnes alii dissentiant; emendatio tamen opportuna videtur, quia solet *Sallustius* neutro colligere nomina quae praecesserunt, *Cat.* 5. 2. et 7., 36. 4., 54. *princ.*, *Iug.* 58. 5. *Lucret.* 5. 249. - quod terram atque ignem mortalia sumpsi Esse. - Idem eo loco emendat *alias* pro *aliis*, duorum Codicum auctoritate, quia, ut argumentatur, - non Romani ab reliquis mortalibus separarentur, sed eis quoque otium atque divitiae optanda fuisse dicantur, *si* ferre potuissent, i e. *alias*. - Valde dubitandum est an *Sallustius* scripserit *alias*, quo adverbio nusquam alibi est usus in *Cat.* et *Iug.*, et dubium est *fragm. H.* 1. 92. ex *Inc.* 113.; pro eo dixit *alio tempore*, *Cat.* 51. 36., et cum voluit significare aliam rerum conditionem dixit *alio modo*, *Hist.* 3. 61. 20. Si hoc leve videtur, magis urget significatio adverbii, quod Scriptoribus huius aetatis semper usurpatum est pro *alio tempore*, ita ut non possit flecti ad *conditionem* - si ferre potuissent - ; vide *Donatum* ad *Terentii Hecyr* 1. 2. 5. Iam

nullum tempus concipi potest quo otium divitiae vel fuissent Romanis optanda, vel potuissent ferri; non tempus quo diligebatur paupertas et labor, quia tunc et animus et opportunitas optandi et ferendi deerant; non tempus quo otium et divitiae aderant, quia onus et miseriam tulerunt; vide etiam *Cap.* 12. Fac vero convenire adverbio interpretationem – si ferre potuissent –, tunc sententia redit ad hunc inanem circuitum verborum – otium divitiae, quae oneri miseriaeque fuerunt, optanda erant Romanis si illud onus ferre potuissent. –

Cur vero Romani secernuntur ab aliis? quia Romanis solemne viris opus erat labor et militia, *Horat. Epist.* 1. 18. 49.; ita ut qui ludicra poterent *graecari,* per probrum, dicerentur *Satir* 2. 2. 11.; Romanos saeva paupertas utiles bello tulit, *Carm.* 1. 12. 41.; quin per damna per caedes ab ipso ferro opes sumebant, *Carm.* 4. 4. 59.; Romanis institutum erat regere imperio populos, parcere subiectis et debellare superbos, *Virg. Aeneide*; de illis dictum sententiose – Moribus antiquis stat res romana vigetque. – Haec omnia, vel propria Romanorum erant, vel sibi ut propria vindicabant, quod Scriptorem rerum Romanarum in animo habuisse putandum est.

C. 11. 2. « verum ille vera via nititur, huic quia bonae artes desunt dolis atque fallaciis contendit. » *Caesar B. G.* 1. 13. – se ita a patribus et maioribus didicisse ut magis virtute quam dolo contenderent, aut insidiis niterentur –. Iam vero pluralia huiusmodi, dolis, fallaciis, quae *A. Gellius* 17. 2. putat esse elegantiae comparandae, potius indicant iterationem eius rei, et diversa tempora et occasiones; ita intellige *famas Hist. inc.* 76., *gloriae triumphique Iug.* 41. 7.

C. 11. 3. « Avaritia..., quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat » Quaesitum est inter Doctos, apud *A. Gell. N. A.* 2. 1., quomodo avaritia corpus etiam effeminet, cum videre sit multos pecuniae cupidos, et eosdem cum corpore esse vegeto et valenti. Credo *Sallustium* respexisse ad id quod plerumque accidit iis qui aliqua gravi cura detinentur; de avaro *Horatius* –

inmoritur studiis et amore *senescit* habendi - et in pecunia - defixis oculis *animoque et corpore torpet* -.

Sed quaeri posset cur venena hic interposuerit *Sallustius*, quidve ea commune habeant cum vi effeminandi. Venena, ut ait *Galenus l. de semine* ἀλλιοῦσι τὸ σῶμα; eis inest vis vertendi et mutandi; *Gaius in l.* 236 *ff. de v. s.* - veneni nomine omne continetur quod adhibitum naturam eius cui adhibitum esset *mutat* - inde *Horatius Epod.* 5. 87. - venena, magnum fas nefasque, non valent *convertere* humanam vicem -, quae verba ego interpretatus sum in *Obs. ad Horatium Romae typ. Salviucci* 1874. *p.* 28 *seq.*; ex hoc veneni nomen adhaesit fuco quo lanae medicatae pristinum colorem amittunt; cf. *Plaut. Pseud.* 3. 2. 80., ubi senex in *adolescentulum* dicitur veneno *restitutus*.

C. 11. 3. « avaritia semper infinita insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur ». Quivis intelligit hoc scite dictum de copia; cum enim ea omnia soleat satiare, non idem facit in avaritia, in qua crescentem sequitur cura pecuniam, maiorumque fames. Sed avaritiam non minui inopia, hoc nihilo plus explicare videtur ac si quis dicat - sitis non minuitur inopia liquoris -, quod esset ineptum. Hoc cum plerique Interpretes viderent, in multas atque diversas abierunt sententias. Nescio an quisquam observaverit, Latinos scriptores, cum volunt generaliter affirmare aliquid nunquam non fieri, quasi per formulam proverbii solere iungere contraria, ita ut quod in utroque contrariorum contingat, id *semper* contingere intelligatur, quamquam alterutrum ex contrariis nihil proposito conveniat; *Plaut Trinum* 2. 2. 79., de adolescente prodigo, - qui comedit quod fuit quod non fuit - *Horat. Epist.* 1. 7. 72. - dicenda tacenda locutus - item *Sat.* 2. 3. 95. - divina humanaque pulchris Divitiis parent - *Terent. Adelph.* 5. 9. 33. - iusta iniusta prorsus *omnia* - et *Phorm.* 3. 3. 23. - una tecum bona mala tolerabimus - *Andr.* 1. 3. 9. iure iniuria -. Idem solent Graeci formula καὶ δικαίως κἀδίκως; ut *Aristophanes Pluto*, ubi *Scholiastes* explicat - αντὶ τῶν παντὶ τρόπῳ -; nec secus *Sallustius* plerisque in locis, ut *Cat.* 11. 6., 16. 3., *Iug.* 5. 2., 31. 12.,

33. 2., 80. 5. Itaque hoc loco – neque copia neque inopia – idem est ac illud quod praecedit – *semper* insatiabilis, – et quod ait *Horat. Epist.* 1. 2. 56. – *Semper* avarus eget –, *Epist.* 1. 18. 98. – Ne te *semper* inops agitet vexetque cupido – Formam proverbialem in huiusmodi locutionibus advertit *Donatus* ad *Ter. Andr.* 1. 3. 9., *Adelph.* 5. 9. 33.

C. 11. 4. « L. Sulla armis recepta re p. bonis initiis malos eventus habuit..., rapere omnes, trahere etc. Ibi *primum* (in Asia) insuevit exercitus populi R. amare, potare, signa tabulas pictas vasa coelata mirari, ea privatim ac publice rapere etc. – Cf. *Athen. Dipn.* 7. 21 *fin.* ubi Lucullus dicitur *primus* invexisse Romam delicias et immodicos sumptus post debellatum Mithridatem et actum triumphum de eo et de Tigrane, non sine multa reprehensione Catonis, ut ait *Polybius lib.* 31. *Hist.*

C. 11. 5. « Ea privatim et publice rapere » Duae dantur interpretationes; altera, *privatos civitatesque iis rebus spoliare,* altera, privatim, *ut privato cuique libebat,* publice, *rei p. nomine;* fortasse rectius est intelligere *privato nomine et publico; Cicero de Verre Act.* 4. *princ.* ait – Nemini video dubium esse quin apertissime C. Verres in Sicilia sacra profanaque omnia et *privatim* et *publice* spoliarit – scilicet et *privato nomine* per amicos atque interpretes auferens, aut simulata emptione et per iniuriam sibi quaerens; vel etiam saepe publica auctoritate Magistratus per iniqua iudicia, ut patet ex *tota Act.* Quod vero privatim aut publice factum, haereat ei qui ita fecisse dicitur, vide in *Cicer. Act. Verr.* 3. C. 4. – homines ex tota provincia nobilissimi primique *publice privatimque* venerunt – vide et *Act.* 5. *C.* 8. 9. *et* 41.; vide in ipso *Sallustio Iug.* 32. 5. – Cassius *privatim* fidem suam interponit, quam Iugurtha non minoris quam *publicam* ducebat –.

C. 11. fin. « ne illi corruptis moribus victoriae temperarent – *Dietschius Com.* 5. *p.* 103. mutavit in *temperarint,* coniecturam confirmans ad *Hist.* 2. 9., quamquam in *ed. min a.* 1874. restituerit *temperarent,* quod nihil Latinitatem offendit, quia temporum usus plerumque pendet ex ratione qua Scriptor rem intuetur et ponit; hic siqui–

dem *temperarent* intelligendum est – tunc cum secundis rebus uterentur. – Alia exempla dat *Sallustius* similia, ut *Cat.* 18. 3., *Iug.* 23. *fin.*, 32. 1., 107. 1., *Hist.* 1. 41. 18., 3. 61. 1. Idem sentiendum de aliis locis, quos correxit *Dietschius Com. capit.* 4. *p.* 58. *nota* 1., *Iug.* 38. 9., 46. 4., 54. 1. Cf. et ceteros Scriptores, *Horat. Carm.* 3. 11. 15. *seq.*, 3. 14. *fin.*, *Epist.* 1. 67. 69., *Plaut. Most.* 3. 1. 28., *Cic. Verr.* 1. 30. 75., 2. 21. 50., 4. 6. 16, 5. 10. 27.

C. 12. 5. « At hi contra ignavissimi homines per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissimi viri victores reliquerunt ». Ita et *Gerlach.* et *Dietschius* scribunt ex plurium Codd. auctoritate, cum pauci, iique non concordes, exhibeant – victores victis – aut – victores hostibus –, quod glossema esse inde apparet, quia non agitur de iis rebus quae flagrante bello hostibus eripiuntur. Ad rem locus *Ciceronis Act.* 1. *in Verrem C.* 5. – Iste Praetor monumenta antiquissima, partim regum locupletissimorum quae illi ornamento urbibus esse voluerunt, partim etiam nostrorum imperatorum, quae *victores civitatibus Siculis* aut dederunt aut reddiderunt, spoliavit nudavitque omnia –, cf. et *Act.* 5. *C.* 33. *et* 34., *et* 52. *ad* 55.

C. 13. 1. « nam quid ea memorem a privatis compluribus subvorsos montes, maria constructa esse » *Dietschio in ed. a* 1858. *Comm. C.* 5. *p.* 104. placuerat pro *constructa* legere *contracta,* quod et alii fecerunt ex auctoritate *Horatii Carm* 3. 1. 33.; *in ed.* vero *a.* 1874. restituit *constructa,* quia *contracta* magis poëticum; in loco tamen simili *Cat.* 20. 11. – illis divitias superare quas profundant in extruendo mari et montibus coaequandis – servavit contra Codices emendationem *Gronovii* – in *extrudendo mari* – quae veri speciem habet si consideres *Horatium Carm.* 2. 18. 20. – Marisque Baiis obstrepentis urges *Submovere* littora, Parum locuples continente ripa –, et *Caesarem B. G.* 3. 12. 3. – *extruso* mari aggere ac molibus – quibus addi potest *Seneca de Tranq. anim. C.* 3. – incipiamus aedificia alia ponere, alia subvertere, et mare *submovere,* et aquas contra difficultates locorum ducere –. Non video tamen quomodo, si recipias – maria constructa –, postea repudies –

in extruendo mari –, cum haec verba idem fere significent; ea sane adhibet *Horatius* in eamdem rem, *Carm*, 2. 3. 19. – *extructis* in altum Divitiis potietur heres – et 2. 3. 96. – quas (divitias) qui *construxerit*, ille Clarus erit –. item *Sat.* 1. 1. 44. Et oppositionis tota vis perit, si *coaequare montes*, quod est illos subvortere, diruere, non habet oppositum *extruere mare*. Nec lectioni obstat notio atque usus huius verbi, ut putat *Dietschius; Cicero in Pisonem c.* 21. – partim devoravit nova quaedam et inaudita luxuries, partim in illis locis, ubi omnia diripuit, emptiones, partim permutationes ad hunc Tusculanum *montem extruendum*, cum illa eius intermissa intolerabilis *aedificatio* constitisset – Ceterum aliquid concedi debet etiam oppositionis naturae, quae facit ut alterum ab altero lucem et vim significandi accipiat, licet interdum communior usus loquendi obstare videatur. In loco *Caesaris* agebatur de removenda difficultate aestus reciprocantis, atque de stabiliendis operibus ad oppugnanda oppida in promontoriis sita; inde *extrudere* loco suo dictum: in *Sallustii* vero locis agitur de libidine aedificandi et de duobus illis luxuriae miraculis, quae iterum taxat verbis oppositis – nova diruunt, alia *aedificant* –, *Cat.* 20. 12.; eadem verba adhibet *Horatius Epist.* 1. 1. 10. – diruit aedificat – Ad materiam vide adhuc *Horatium Carm.* 3. 24. 3. *et* 2. 15. *principio.*

C. 13. 3 « dormire prius quam somni cupido esset » cf. *Iug.* 89. *fine.*

C. 14. 2. « quicumque impudicus adulter ganeo manu ventre pene bona patria laceraverat » In nonnullis libris vel post *manu* sequitur *alea*, vel isthaec vox pro *manu* substituta est, unde *alea* glossema esse Interpretes iudicarunt. In pedestri sermone magis arrideret *alea,* quam et ipsi poëtae usurpant in damno pecuniae. *Horatius Epist.* 1. 18. 21. – Quem damnosa venus, quem praeceps alea nudat – *Gerlachius* fatetur rarius occurrere *manus* in hac significatione sed tamen confirmari *Svetonii* loco, *Octav. C.* 71. – quas manus remisi. – Addo *Horatium*, qui aliquatenus iuvat, *Sat.* 2. 7. 15. – post quam illi iusta cheragra –

Contudit articulos, qui pro so tolleret, atque - Mitteret in phimum talos, mercede diurna - Conductum pavit -, *Plautum Curcul.* 2. 3. 75. - postquam coenati atque appoti, talos poscit sibi in *manum;* provocat me in *aleam* ut ludam -; in *Sallustio* manus est instrumentum defendendae inopiae *C.* 37. 7., alias rei gerendae, vis parandae, potestatis exercendae *Iug.* 44. 1., *Cat.* 14. 3., 96. 3., 14. 14., 31. 5. *et* 22.; hic vocem declarant quae sequuntur - bona patria laceraverat -

C. 14. 4. « quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam eius inciderat » Interpretantur - quasi in insidias, aut retia aut gurgitem incidere, quo demonstretur illam amicitiam iuvenibus *perniciosam* fuisse -. Sed incidere, habet etiam vim *fortuiti*, ut distinguat eos quorum familiaritatem Catilina *adpetebat*, *Cat.* 14. 5.

C. 14. 5. « eorum (adolescentium) animi molles et aetate fluxi dolis haud difficulter capiebantur » *Dietschius Comm. C.* 5. *p.* 105. legit - molles aetate et fluxi -, nam inconstantia consiliorum, ait, num aetatis iuvenilis vitium est, mollities non est? Postea in *praefatione ad edit. anni* 1874., vocem *aetate* ex versu sequenti petitam esse tenet cum *Iordano*, et uncis claudit. *Gerlachius in edit. Basileae* 1823 - molles et aetate fluxi - quod fert *Cod.* P^4, et ita vulgatum est. Hoc defendi posse credo, quia *aetate,* quamquam post particulam coniunctivam, ad *molles* et *fluxi* communiter sit referendum. Exempla huius figurae multa suppeditat *Horatius*, quorum pauca proferam, *Sat.* 1. 10. 19. - Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum - *Carm.* 1. 17. 11. - Valles et Usticae cubantis Levia personuere saxa - et cum enclitica, *C.* 2. 19. 27. - sed idem - pacis eras mediusque belli - *C.* 3. 1. 12. - Moribus hic meliorque fama - *C.* 1. 12. 15. - Qui mare ac terras variisque mundum temperat horis - *Epod.* 15. 7. - Dum pecori lupus et nautis infestus Orion - saepe etiam cum particulis *ve ne,* coniunctionibus *vel, atque, ac* - Transposuit etiam post adverbium *Epist.* 2. 2. 73. - Torquet nunc lapidem nunc ingens machina tignum -, quibus locis manifestum est unum vocabulum utrimque trahi de-

bere. Qui clamabunt haec esse poëtica aut ex metri necessitate aut non omnino similia, adeant ipsum *Sallustium Iug.* 87. 1. et quae ibi observata sunt, nec non *Iug.* 78. 2. – quorum proxuma terrae praealta sunt, cetera uti fors tulit alta; alia in tempestate vadosa – ubi verba *in tempestate* – pertinent simul ad alta et vadosa, etiam iudicio eorum qui legi volunt – alta alia, alia in tempestate vadosa; vide *Burnouf*, et *Dietschium Comm.* 2 *p.* 25.

C. 15. fine « prorsus in facie voltuque vecordia inerat » Facies, a faciendo, est factura quaedam corporis totius, voltus a volvendo quia mutatur et volvitur ex adfectibus, inde *Iug.* 113. 3. – voltu corporis varius – cf. *Cicer. pro Sulla C.* 5. item 13. 29. et 10. 5. *Virgil. Aen.* 6. 47., *Plaut. Cistell.* 1. 1. 59. *Terent. Hecyr.* 3. 3. 9., *Caesar. B. G.* 1. 39.

C. 16. 5. « tutae tranquillaeque res omnes » De hoc statu rei p. cf. *Cat.* 31. 1., 36. 4., 37 fin., nec non *Ciceronem* in *Catilin.* 2. 5.

C. 17. 6. « iuventus Catilinae inceptis favebat » *C.* 37. 1. – plebes Catilinae incepta probabat – ubi versus hexameter pene integer, quod in soluta oratione est vitandum; *Cicero de Orat.* 3. 44. – versus in oratione, si efficitur coniunctione verborum, vitium est. – quod iterum dicit de *Orat.* C. 20. 67. Verum opere in longo ista solent obrepere etiam caventibus. *Tacitus Germania* 39. integrum et sonantem habet – silvam – Auguriis patrum et prisca formidine sacram –

C. 18. 1. « sed antea item coniuravere » de anteriori hac coniuratione, Lepido et Tullo consulibus, *Cicero pro P. Sulla C.* 4. *princ.*

C. 18. 3. « quod intra legitimos dies profiteri nequiverit » Haec *Dietschius* ex glossemate esse putavit et uncis inclusit; vide quae docte disserit *Com. C.* 4. *p.* 54. *ad* 58.

C. 18. 4. « Erat eodem tempore Gn. Piso » *Dietschius Com. C.* 2. *pag.* 17. putat hic excidisse verbum – *Romae* vel *in urbe* – quia, ut ait, si *Sallustius* exprimere voluisset, vixisse eodem tempore Pisonem, id dicere paene ridiculum fuit, et quae de Pisonis ingenio et moribus com-

memorantur certe in multis infuere qui magis quam ille ad adiuvandam coniurationem essent idonei; illud dicundum fuisse, Pisonem per fortunam ministrum Catilinae et Autronio oblatum fuisse; quod non exprimitur nisi ubi fuerit tum Piso adiicitur –. Sed Romae civem romanum fuisse non erat cur memoraretur, et quae dicuntur cum loco adiecto *Cat.* 21. 3., *Iug.* 35. 1. *et* 65. 1., tangunt eos qui extra locum suum erant. Praeterea Pisonem fuisse ex praecipuis inter coniuratos monstrant quae de eo dicuntur *hoc ipso* et *seq. capite,* et quod *c. seq.* 3. indicatur pronomine – *is* Piso –, quo *Sallustius* utitur ubi praecipuum quemdam virum vult indicare, cf. *Iug.* 63. 6. Quocirca, nihil hic supplendum arbitror.

C. 19. 3. « Sed is (Gn.) Piso in Provincia ab equitibus Hispanis quos in exercitu ductabat iter faciens occisus est... nunquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia saeva multa antea perpessos. – *Cicero* in *Verrem de signis C.* 24. memorat L. Pisonem *frugi*, pariter occisum, cum esset in Hispania praetor. *Sallustii* verba manifeste conferunt in Gn. Pompeium culpam necis. Cf. vero in *Dietschii Comm.* 5. *p.* 105. rationes quibus tuetur lectionem unius codicis – sine exercitu ductabat. –

C. 20. 10. « pro deum atque hominum fidem » Exclamatio gravis cum aliquid enixe commovet; ea utuntur et Comici cum σεμνότητα affectant, apud ques video adhibitam admirationis causa, et cum sequente nota interrogandi id quod negatur; *Plaut. Epidico* 4. 2. 10. – pro deum atque hominum fidem! Quid? ego lenocinium facio?–, idem *Curcul.* 5. 3. 16., *Terentius Andr.* 1. 5. 2. – Pro deum atque hominum fidem, quid est si haec non contumelia est? – et *ibid.* 11., *Heautont.* 1. 1. 9. – Nam pro deum atque hominum fidem, quid vis tibi?, – *Hecyr.* 2. 1. 1., *Cicero in Verrem de frumento C.* 60. adhibet sequentibus quatuor interrogationibus, item *Tuscul.* 58.

C. 20. 11. « divitias... quas profundânt in extruendo mari, *Dietschius, extrudendo,* de quo vide hic *Obs. ad C.* 13. 1.

C. 22. 2. « atque eo dictitare fecisse » Haec est lectio plurimorum atque optimorum Codicum, quamquam *Diet-*

schius, in praefatione edit. a 1874., ad hunc locum, dicat dubitari non posse quin antiquissimus liber sit glossis inquinatus. Sane inter glossas repudio eam quae fert – atque eo dictam rem fecisse – quod barbarum sapit. Nec placet emendatio *Dietschii in ed a.* 1858. – atque *eo ita* fecisse –, quia est contra omnes codices, et videtur parum digna *Sallustio*. Servando lectionem Codicum (quae tamen, fateor, non satis est expedita), ita interpretor: fuere qui dicerent Catilinam (post degustatum a coniuratis sanguinem humanum) *solitum* dictitare se ideo hoc fecisse quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii. Ita Catilina *aperuit omne consilium suum* non solum coniuratis qui convenerant, sed etiam eis qui favere putabantur. Quod tempus sit mutatum cum praecedat *circumtulisse* et *aperuisse,* hoc tribuendum verbo *dictitare* quod frequentiam et iterationem denotat. Verba duo, *dicere facere*, ita coniuncta infinitivo, non abhorrent a *Sallustio, Cat.* 51. 29. – merito dicere fieri –

Sed in multa lectionum et interpretationum varietate, tento hanc aliam – atque ea ductum (vel adductum) re fecisse. – *Ea res* saepissime occurrit in *Sallustio,* vide *Obs. ad Iug.* 10. 1.; *ea re adductus, inductus* est formula usitatissima *Caesari;* vide *B. G.* 1. 9., 1. 11., 1. 17., 1. 27., 1. 33., 3. 18.

C. 22. fin. « nobis ea res pro magnitudine parum comperta est » *Pro magnitudine* redit *Iug.* 14. 16., 42. 5., et indicat – secundum id quod magnitudo rei poscit –; quae significatio praepositionis, etiam ex multis aliis locis elucet; illam omisit *Sallustius Cat.* 31. 3. ubi simpliciter *magnitudine*. Cur vero ob eam causam res parum comperta? quia res magna et atrox multis et variis vulgi rumoribus differtur, et cum superet opinionem non facile credulos habet audientium animos.

C. 23. 5. « ea res in primis studia hominum accendit » *In primis* coniunge cum *accendit,* non cum *ea res,* sic enim locus postulare videtur.

C. 23. fin. « namque antea pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum,

quamvis egregius, homo novus adeptus foret. » Eadem dicit de consulatu Marii *Iug.* 63. *fin.*, ubi plebem a consulatu procul habitam esse ait. Primus qui e plebe fertur factus consul est L. Sextius duo et vicesimo anno postquam Romam Galli ceperunt ut ex *Fabii annalibus et Livio* 6. *p.* 189. fin. Vide *Gell.* 5. 4.

C. 25. 4. « fidem prodiderat, creditum abiuraverat » Fides Latinis, ut Graecis πίστις, varie sumitur; fidem prodere intelligi potest vel qui fidem datam violat, vel qui fidei suae iacturam et detrimentum facit, nam fides hominis est eius iustitia ac religio; vel etiam qui fidem commissam et sibi traditam prodit. Quae duo hic coniungit *Sallustius*, coniunxit etiam *Horatius Satir.* 1. 3. 95. – prodiderit commissa fide, sponsumve negarit – Creditum abiurare est creditam pecuniam iureiurando apud iudicem negare, *Plautus Rud. Prol.* 13. – qui falsas lites falsis testimoniis petunt, quique in iure abiurant pecuniam –, et *Asin.* 3. 2. 24. – ubi periuraris..., ubi creditum tibi quod sit, tibi datum esse pernegaris – *Curcul.* 4. 2. 10. – qui abiurant si quid creditum est – *Persa* 4. 3. 9. – nec metuo quibus credidi hodie ne quis mihi in iure abiurassit –

C. 26. ad 32. « In factis quae hic exponit *Sallustius* aliquid praepostere narratum esse invenerunt Docti, si comparentur cum aliis locis, praesertim *Ciceronis*. *Linkerus* et *Ottema* transpositionem in verbis proposuerunt, ut *Sallustius* constaret cum aliis; eam vero *Dietschius* non probat, quia et libri obstant, et transpositio habet quaedam incommoda; deinde quia consilium quo narrationem ordinavit *Sallustius* non indignum sit Scriptore qui ornate quam tenuiter annalium in modum, scribere mallet. Vide quae in hoc accurate disquirit *Dietschius Com. C.* 3. *p.* 31. *ad.* 42., et in *praefat. edit. a.* 1874.

C. 26. 4. « Ad hoc (Cicero) collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat ne contra rem p. sentiret » Cf. *Cat.* 48. 8. – alii Tarquinium a Cicerone immissum aiebant, ne Crassus more suo suscepto malorum patrocinio rem p. conturbaret. – Hisce dolis et astutiis Cicero salutem rei p. redimebat, magnum ratus si, bonorum auxilio

parum confirmatus, malos a pernicie averteret praemiis aut dolo.

C. 27. 2. « ipse cum telo esse » quod erat vetitum lege Plautia, quam tulit M. Plautius Silvanus de vi publica.

C. 27. 3. « coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam » *Dietschius Com. C.* 5. *p.* 106. amplectitur coniecturam *Palmerii* – convocat *penes* M. P. Laecam –, quia indignum *Sallustio* putat, si non dixerit locum, quasi nescierit. Sed nec dixit de alio conventu *Cat.* 17. 3., et rem cuique notissimam praeterire poterat. Scimus sane ex *Cicerone* conventum hunc habitum fuisse in domo Laecae *Cat.* 1. *C.* 4., et pro *Sulla* 18., sed scimus etiam, hoc caute fecisse Catilinam ut posset negare, *Cic. Catil.* 1. *C.* 4., et 2. *C.* 6; igitur non mirum si per Laecam invitasset in ipsius Laecae domum, qui erat unus ex coniuratis, *C.* 17. Nec contradicit *Cicero* pro *Sulla C.* 18. – cum ad M. Laecam nocte ea... *Catilinae denunciatione* convenit –, quia Catilina convocavit et denunciavit per Laecam administrum et dominum domus. *Per* aliquando scriptum esse pro *penes* in libris parum iuvat; quominus enim hic *penes* recipiatur, obstat vis verbi, ut ipse *Dietschius* fatetur. *Festus* distinguit *apud* et *penes* – apud et penes in hoc differunt quod alterum personam cum loco significat, alterum personam et dominium ac potestatem. –

C. 27. fin. « eum (Ciceronem) suis consiliis multum officere » In illo conventu apud Laecam Catilina dixerat, paululum sibi esse etiam tum morae quoad Cicero viveret, ut testatur *Cicero Catil.* 1. 4.

C. 28. 2. « C. Cornelius eques Romanus operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius Senator constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire a Ciceronem, ac de improviso domui suae imparatum confodere » Observandum est, *Plutarchum* in *Cic.* 16., pro C. Cornelio, et L. Varguntejo ponere Marcium et Cethegum, operam illam pollicitos; vicissim *Appianum Alex. B. C.* 2. *C.* 429. *p.* 711. *edit. Amstel. a.* 1670. ponere Lentulum, et Cethegum; cum *Cicero in Catil.* 1. *C.* 4.

dicat – repertos esse *duos equites* qui se se illa ipsa nocte ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur – et *pro Sulla C.* 18. C. Cornelium solum nominet, quem immissum affirmat ab Autronio ut se trucideret in sedibus suis, in conspectu uxoris ac liberorum, *C.* 6.

Dietschius Com. C. 2. *p.* 18. cum putet nimis stolidos fuisse eos viros si crederent se posse salutationem simulare cum armatis introëuntes, suspicatur post verba – cum armatis hominibus – excidisse in libris verba quibus narraretur ad quem usum illi hominum armatorum comitatum ducerent. Et *Cicero* quidem in illis locis huius comitatus non meminit; nec meminit *Plutarchus* in *Cic. C.* 16., cum tamen dicat Catilinam iussisse, Marcium et Cethegum armatos gladiis ad Ciceronem introire quasi salutatum et eum interficere. *Appianus l. c.* narrat constitutum fuisse ut Lentulus et Cethegus, cum sicis latentibus, insiderent ianuam Ciceronis, et illum dolose confoderent. Credo tamen libros recte se habere, et verbis inesse non lacunam, sed ellipsin huiuscemodi – constituere cum armatis hominibus *prodire, et ipsi* sicuti salutatum *introire* ad Ciceronem etc. – Habebant utique armatos, non qui introirent et salutarent, sed qui, fortasse in proximo collocati, contra omnes eventus munimento forent. Quo quid magis et temporibus et rei consentaneum? Cf. *Cat.* 27. 2.

C. 28. 4. « nonnullos ex Sullanis colonis » *Dietschius Com. C.* 5. *p.* 106. emendat *coloniis,* non sine auctoritate codicum, et ex ratione linguae latinae, adducto exemplo *Sallustii* Cat. 49. 4., 58. 13., 17. 4. Catilinae vero favebant tum ii quibus, victoria Sullana, bona erepta fuerant, *Cat.* hic et *C.* 37., tum homines ex iis coloniis quas Sulla constituerat, quibus lubido atque luxuria nihil reliqui fecerat, *Sallustius hoc eodem Cap.,* et diserte *Cicero Catil.* 2. *C.* 9.; ita ut in idem consilium et spoliati et spoliatores mire consentirent ob eamdem causam aeris alieni; favebant etiam multi memores victoriae Sullanae quos praedae spes hortabatur, *Cat.* 21. *fin.*

C. 29. 1. « rem ad Senatum refert iam antea vulgi rumoribus exagitatam » Ita omnes codices et ita recte

Gerlachius, quamquam *Dietschius p.* 173. in *nota* dicat certatim viros doctos recepisse *exagitatum*, credo quod putaverint idem esse ac *commotum*, aut *permotum*, quibus utitur *Sallustius* in re simili *Cat.* 31. 1., *Iug.* 6. 2., 25. 6., 62. 1. Sed *exagitare* hanc significationem non habet; interdum est exercere, iactare, versare, *Lucr. R. N.* 6. 582., et eo ducit magis sententia ut teneamus rem antea vulgi rumoribus *iactatam*, incerto auctore, relatam esse tamdem ad Senatum, auctore consule, quam rem fuisse relatam ad Senatum iam antea vulgi rumoribus exagitatum. Cf. *Cat.* 14. *fin.*, *Iug.* 22. 1. et 27. 1.

C. 29. 2. « darent operam consules, ne quid res publica detrimenti caperet » vide eamdem formulam in *fine Orationis L. Philippi contra Lepidum.*

C. 30. 6. « Ad hoc si quis indicasset de coniuratione etc. » Nemo tamen indicavit, quamquam duobus Senati decretis per praemia invitatus, quod dolet *Sallustius C.* 36. 5.

C. 30. 7. « ut gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribueretnur pro cuiusque opibus. » Hanc distributionem per municipia, removendi periculi causa, solebat facere P. R., ut ex *Sallustio Cat. C.* 51. 43.

C. 31. 7. « ita ab adolescentia vitam instituisse ut omnia bona in spe haberet » *Burnouf.* interpretatur – nihil non boni – iungens *omnia ad bona;* potius videtur iungendum *bona in spe* ex frequenti usu Scriptorum, praesertim *Sallustii Cat. C.* 20. 13., 21. 1., *Iug.* 44. 2., 113. 2., *H.* 3. 61. 4. *Omnia* neutro, sine alio nomine, vide *Iug.* 41. 5. et 9. et pluries alibi. Significatio est – omnes res suas ad bonum provisas, cum boni expectatione. –

C. 31. 7. « cum eam (rem. p.) servaret M. Tullius Cicero inquilinus civis urbis Romae » Observa nomen Ciceronis septum plena notatione per proterviam et ironiam; item *urbis Romae.* Ciceroni obiecta est peregrinitas non solum a Catilina sed et a L. Torquato, ut patet ex *Orat. pro Sulla C.* 7. *et* 8., quod probrum Cicero sibi commune esse ait cum clarissimis viris Catone, Coruncanio, Curione, Mario, immo gloriatur et iactat se esse ex eo municipio, unde iam salus urbi imperioque missa est. In-

quilinum Ciceronem vocatum a Catilina vide in *Appiano B. C.* 2. 2. *C.* 228. *edit. Amsteled.*

C. 32. 1. « quod neque insidiae consuli procedebant. » *Dietschius Comm. C.* 2. *p.* 18. putat hic excidisse verbum a quo dativus *consuli* pendeat, et suspicatur ita *Sallustium* scripsisse - insidiae consuli *intentae* -, quo omisso peccatum censet contra regulas Latinitatis. Quid si non lacunam in libris sed ellipsin, ab Auctore cogitatam, inesse verbis statuamus ? Nonne ellipsis est in verbis *Iug.* 55. 4. - neque post insidias *Iugurthae* effuso exercitu praedari - i. e. insidias a Iugurtha factas ? Duplicem ellipsin continet *Caes. B. G.* 1. 30. - pro veteribus Helvetiorum iniuriis populi R. - idem dicas in verbis - ostentui credere - *Iug.* 46. 6. - poenas imperatori petant - *Iug.* 65. 3. - impetus inermibus militibus - *Caes. B. G.* 3. 29. - defensores oppido - *idem B. G.* 7. 15. - argentum foenori - *Plaut. Mostell.* 3. 1. 1. - ex sententia ambobus - *Sall. Hist.* 2. *fr.* 15., - hostis populo R. - *Iug.* 109. *fin.* Multa alia sunt ellipseos genera, quae nisi intelligitur, Latinitas videtur claudicare, ut - mercede colonus - *Horat. Sat.* 2. 2. 115. - iure praetor, iure dominus etc. -, *Terent. Andr.* 1. 2. 4., *Horat. Sat.* 1. 51. - iter Cumas - *Horat. Epist.* 1. 15. 11., *Cicer. pro Milone C.* 10. Non obest quod *procedere alicui* sit *ei bene succedere,* nam procedere hic non iungendum dativo, sed per se intelligendum ut *Cat.* 1. 5., *Iug.* 11. 9., 25. 10., 35. 4., 46. 4., 61. 3.

C. 33. fin. « quonam modo maxime ulti sanguinem nostrum pereamus » Intelligo *quonam praecipue modo,* non *ulti maxime sanguinem nostrum,* quia qui quaerit modum, ambigit quem amplectatur ex multis, et quae hic praecedunt medelam malis variam exhibent; simul ex incerto verborum translucet consilium evertendae rei p. Proinde improbanda lectio - ulti maxime - quam sequitur *Burnouf.*

C. 35. « Epistola Catilinae Q. Catulo. » Etiam illi qui orationes in *Sallustio* negant esse iisdem verbis Oratoris expressas, fatentur hic esse ipsius Catilinae verba; quippe et *Sallustius* profitetur se dare litterarum exemplum, et illae indicant animum variis curis sollicitum, et stilus

maxime recedit a more *Sallustii.* Est et Volturcii ad Catilinam epistola iisdem verbis scribentis, *Cat.* 44. 5., collato *Cicerone Catil.* 3. 5.

C. 35. 2. « Quam ob rem defensionem in novo consilio non statui parare, satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi » Videtur consilium se defendendi abnuere, satisfactionem non recusare; quae duo diversa sunt, nam defendit qui crimen obiectum diluit; satisfacit qui morem gerit, et alicuius facti rationem reddit, cf. *Caes. B. G.* 1. 41. *et* 5. 54. Novum est conscientia *de* culpa, praepositio pro casu, quod postea invaluit in recentioribus dialectis, et fortasse originem habet ex prisco vulgari sermone.

C. 35. 2. « defensionem in novo consilio non statui parare » Novum, quia postquam se ex curia proripuit, ad Manliana castra profectus est, aperte se hostem professus, *Cat.* 32., *Horatius Epist.* 1. 18. 33. – sumet *nova consilia* et spes –; *in* novo consilio est – dum novum consilium suscepi et in eo persto –

C. 36. 2. « praeter rerum capitalium condemnatis. » *Horatius* cum infinitivo – Praeter plorare – *Sat.* 2. 5. 69., et videtur utrobique esse pro *praeterquam.*

C. 37. 7. « iuventus quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat » idest par fuerat inopiae tolerandae, contra inopiam se defenderat; *Cat.* 24. 3. – sumtus tolerare. – Graeci χειρώνακτας vocant opifices qui manuum ministerio victum sibi quaerunt, de quibus *Sallustius* ait *Iug.* 73. 6. – quorum res fidesque in manibus sitae –; tolerare inopiam dicitur et de eo qui inopiam alterius sublevat, *Plaut. Trinumm.* 2. 2. 57. – tolerare egestatem eius volo –

C. 39. 4. « Neque illis qui victoriam adepti forent diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus qui plus posset imperium atque libertatem extorqueret. » *Dietschius Comm. C.* 5. *p.* 109. emendat contra omnes libros – neque illis *si* –. Eius verba sunt – Verba, ut in libris scripta sunt, sane aliter accipi non possunt, quam ut sententia communi quantas in turbas permixtionesque rerum civitas semel laxatis legum vinculis ruat, ostendatur. At

ex omni nexu nihil manifestius est quam Scriptorem ea ponere voluisse, quae si Catilinarii vicissent futura fuissent, unde apparet scribendum esse, *illis si victoriam adepti forent,* et *illis,* liberiore modo ad Catilinarios relatum, qui quin intelligendi essent, ante Catilinae nomine posito, non dubium esset. Quibus nunc addo, illud ipsum quod pronomen liberius ad praecedentia relatum est, librarios videri movisse ut *qui* scriberent - Sed quia proxime antecedentibus *Sallustius* manifeste agit de renovato certamine inter nobilitatem et plebem, sequitur ut victoria, quae alterutri parti contingere posset, aeque sit ob oculos habita cf. *Cat.* 38. 3. - *utrique* victoriam crudeliter exercebant - Deinde quomodo Catilinariis extorqueretur imperium et libertas, quae ipsi oppressissent cum magna clade et calamitate rei publicae? Ea solemnia et honesta nomina sunt, non concedenda Catilinariis, aut certe non iis solis, quibus potius conveniunt verba *dominationis et licentiae,* ut ex toto *Sallustio* apparet. Nec vero solis Catilinariis victoribus sequuturum erat illud periculum ut qui plus posset defessos opprimeret; hoc accidisset etiam victoribus aliis. Ceterum sententiam communem sed veram, rursus exornat *Sallustius Iug.* 79. 4. - veriti ne mox victos victoresque defessos alius aggrederetur. -

C. 43. 1. « Lentulus cum ceteris constituerant. » Idem *Iug.* 101. 5. - Bocchus cum peditibus invadunt -; inversa ratione *Horat. Sat.* 2. 6. 65. - quibus ipse meique Ante larem proprium *vescor.* - Magis ab usu recedit relativum singulari post neutrum plurale, *Cat.* 56. 5. - *servitia* repudiabat... *cuius* magnae copiae concurrebant - quod *Priscianus* interpretatur *cuius rei.*

C. 46. 2. « At illum (Ciceronem) ingens cura atque laetitia simul occupavere; nam laetabatur intellegens coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse; porro autem anxius erat dubitans in maxumo scelere tantis civibus deprehensis quid facto opus esset: poenam illorum sibi oneri, impunitatem rei publicae perdundae fore credebat » Consensum sibi vindicant quae hic disputat *Dietschius Com. C.* 4. p. 62. contra *Linkerum* et alios qui in

suspicionem adducunt verba *laetabatur intellegens, anxius erat dubitans, esset, credebat,* quasi a glossatoribus addita ut sententiam per se plenam onerarent ac debilitarent. Nam primum libri vetustissimi atque optimi in ea lectione consentiunt; deinde *Sallustius* hic non quid transactum sit vivide et alacriter refert, sed, quid de Ciceronis habitu animi in tanta re compertum habeat, exponit; et erat dicendum distincte qua re Cicero esset laetus, qua anxius; quod si tolleretur *intellegens,* qua re gavisus esset exprimeretur, non, quo magis sibi persuasisset iam periculum civitatis pro remoto esse habendum, eo magis laetitiam auctam esse; retento vero *intellegens*, iam membrorum aequabilitatem et rectum ordinem postulare ut servari debeant reliquae voces.

Ad verba - poenam illorum sibi oneri, impunitatem rei publicae perdundae fore – Interpretes habent haec postrema pro genitivo, et quoniam oneri est dativus aiunt nihil officere diversitatem casuum quia id solet *Sallustius,* adducto *Cat.* 33. 2., *Iug.* 7. 1., 84. 2. Existimo *rei p. perdundae,* esse hic eiusdem casus cum *oneri*, quippe ambo pendent a *fore*, ut in *Cat.* 10. 2. - eis otium divitiae oneri miseriaeque fuere –, aut intelligendum esse verbum huiusmodi - rei p. perdundae *comparatam* fore – ut *Terent. Adelph.* 4. 2. 6., *Horat. A. P.* 82., *Plaut. Rud.* 5. 3. 18., *Sall.* Hist. 3. 54.; et ita in plerisque aliis locis similibus tenendum esse.

C. 46. 5. « Recte *Dietschius Com. Cap.* 4. *p.* 64. *fine* concludit eiicienda esse verba in *Senatum,* et retinenda ea *venire iubet.*

C. 46. 5. « Consul Lentulum, quod Praetor erat, ipse manu tenens perducit » *Burnouf.* – honoris causa, dum ceteros, utpote minoris dignitatis, custodibus traderet –. Credo et regi Iugurthae factum honoris causa a C. Memmio trib. pl. *Iug.* 33. 4. – post ubi silentium coepit, producto Iugurtha verba facit –, quamquam *perducere* et *producere* aliquid differant. Cf. *Iug.* 65. 2. de honoribus sellae et custodiae concessis iis quos P. R. reges appellavisset. Tarquinius ille qui profectus ad Catilinam ex itinere re–

tractus est, et M. Crassum nominavit participem coniurationis, ad Senatum fertur *adductus*, Cat. 48. 3. Iugurtha pro concione laudatus a Scipione in praetorium est *adductus, Iug.* 8. 2.

C. 48. 1. « Interea plebes, coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente, Catilinae consilia exsecrari » *Linkerus* verba – coniuratione patefacta – pro glossemate habuit, fortasse quia eis interpositis relativum ab eo ad quod pertinet separatur. Recte observat *Dietschius Comm. C.* 4. *p.* 65. necessarium fuisse adiici qua re illa mentis immutatio incesserit, nec quemquam paulo adtentum fugere posse cui rei relativum sit iungendum; vult etiam verba – *quae* ad *mente* – veluti in parenthesi adiecta censeri debere. Sed rectius, ut existimo, relativum *quae* positum est cum intensione et vi propria, scilicet – *illa ipsa* plebes *quae* primo nimis bello favebat, nunc coniuratione patefacta mentem mutaverat. –

C. 49. 1. « Q. Catulus et G. Piso neque precibus neque gratia neque precio Ciceronem impellere potuere » *Dietschius Com. C.* 4. *p.* 65. censet delendum esse *precibus,* quia *Priscianus Sallustium* laudans omittit, et Codices verborum ordinem immutatum exhibent, et quia gratiae vocabulo preces continentur. Sunt tamen preces quibus non sit necesse adiungi gratiam precantis, et gratiosus quis esse potest quin ad preces decurrat, cum possit postulare. *Cicero ad Heren.* 17. *Sallustio* simillimus – Nec prece nec precio nec gratia nec simultate a via recta deduci oportet – Ipse *Sallustius* cum plene aliquid ponit aut negat, solet plura vocabula, quamquam inter se affinia, congerere, *Cat.* 11. 2. – gloriam honorem imperium – 20. 8. – omnis gratia potentia honos divitiae apud illos erant. – *Iug.* 18. 2, – ii neque moribus neque lege aut imperio cuiusquam regebantur. – Interdum fit ut quod sub *genere* comprehensum est, rursus adfirmetur per *species, Cicero de Offic.* 2. – nulla enim vitae pars neque publicis neque privatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tu tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest – et pro Sulla C. 10. – sine armis, sine exercitu –

Terentius vero Eun. 5. 9. 24. - perfice hoc precibus precio - *Caesar B. G.* 7. 63. - quantum gratia auctoritate pecunia valent - *Sall. Hist.* 3. 61. 5. habet - neque gratia neque spe neque praemis. -

C. 50. 4. « sed eos (qui in custodiam traditi erant) paulo ante frequens Senatus iudicaverat contra rem p. fecisse » Contra rem p. facere iudicantur ii qui bono rei p. adversari comperti sunt, aliquo facto quod egrediatur fines privatae iniuriae, cf. *Cat.* 51. *fin.* et *Ciceronem pro Milone C.* 5. *et* 6. Maius est hostis iudicari, quod fecit Senatus in Catilinam et Manlium qui arma parabant in patriam *Cat.* 36. 2., 44. 6.

C. 51. 1. « omnes homines qui » Idem est principium *Catilin.*, sed initio epistolae Mithridatis - omnes qui - et ita Cicero, *Verr.* 8. *principio, Tacit. hist.* 2. 76; quod significat *quicumque.*

Ibid. « qui de rebus dubiis consultant » Rem dubiam dicit Caesar, quam Cato, insequenti capite, certam esse, et, sine ambagibus, vindicandam affirmat.

C. 51. 2. « neque quisquam omnium lubidini simul et usui paruit » qui enim lubidine trahuntur, utilia rei p. non proponunt, recte atque ordine non faciunt, ut *infra.*

C. 51. 6. « nunquam ipsi (Romani) per occasionem talia fecere » Verba - per occasionem - intelligo cum essent iniuriis lacessiti, cum moti essent *offensione* aliqua, quod dicit *Cat.* 9. *fine* - accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant -

C. 51. 8. « ne plus apud vos valeat Lentuli et ceterorum scelus, quam vestra dignitas, neve magis irae vestrae quam famae consulatis » idem fere *Iug.* 33. 3. - dignitati quam irae magis consulens -. Multum famae tribuit Caesar, mentitus an ex animi sententia nihil interest, dum senatum revocet a supplicio capitis decernendo Cf. *h. c. N.* 12 *ad* 14., *et* 25

C. 51. 9. « quae belli saevitia esset, quae victis acciderent etc. » Exaggerat poëticis coloribus metum eorum qui captam urbem sibi ob oculos ponunt, ut ei fidem minuat aut saltem alienum arguat, cf. hic 17. et 18., ubi Si-

lanum metu aut iniuria impulsum dicit; non absimilis pictura est *Iug. C.* 102 *fine* post praelium confectum et cladem acceptam.

C. 51. 15. « sed plerique mortales postrema meminere » i. e. quae ultimo loco facta sunt magis memoriam tenent.

C. 51. 27. « omnia mala exempla ex bonis orta sunt; sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur » *Dietschius Comm. C.* 4. *p.* 67. *seq.* contendit, ex aliquorum Codicum auctoritate, legendum esse *ex bonis rebus*, quod interpretatur ex *prospero rerum statu*, et *sed* mutat in *scilicet.* Interpretatio fulciri posset ex *Horatio Carm.* 2. 3. *princ.*, ubi opponit res arduas rebus bonis; sed ut plurimum res bonae aut malae accipiuntur pro opulentia aut inopia rerum ad vitam necessariarum, *Plaut. Trin.* 2. 4. 45., *Pers.* 4. 3. 38., *Lucret.* 1. 729., *Sallust. Cat.* 20. 13.; quod si indicari vult felix omnium rerum conditio, tunc et *Sallustius* et alii solent dicere *res secundas aut prosperas.* Praeterea aliud est aliquid *in* rebus secundis contingere quo animus ad insolentem laetitiam aut licentiam excurrat, quasi *occasione* et *statu* illo usus, aliud *ex* secundis rebus *oriri* mala exempla, et *Sallustius* cum alibi talem sententiam protulit, praepositione *ex* abstinuit, *Hist.* 1. 9. – et cetera secundis rebus oriri sueta mala – i. e. dum res prosperae sunt; qua ratione et *Horatius Carm.* 2. 10. 14. – Sperat infestis, metuit secundis Alteram sortem. –

Deinde *Dietschius exemplum* intelligit extraordinariam puniendi potestatem quam Senatus Consuli traditurus erat decreto suo. Sed repugnare videntur verba – novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur –, quod enim transfertur non est potestas aut decretum, sed poena ipsa, nec transitur a dignis ad indignos nisi in illos aliquid *fiat.* Mihi dubium non est exempla hic significare *facta* quae in aliquem eduntur, *specimen* ac *modum* quo aliquis plectitur aut habetur. Inde triginta tyrannorum et Sullae facta, quae statim post memorantur, pro exemplis sunt, bonis, ubi in noxios est ani-

madversum, malis, ubi ad immerentes exempla sunt translata. Ita saepe Antiqui dixerunt malis exemplis perdere, ludificari, iactare, exempla facere, edere in aliquem, cf. *Plaut. Mostell.* 1. 3. 35 et 55., *ibid.* 5. 167, *Rud.* 2. 3. 40., *ibid*, 3. 2. 3., et 7., *Trucul.* 1. 1. 15., *Terent. Eunuch.* 5. 5. 4., et 6., 5. 7. 21., *Phorm.* 4. 4. 7. ; nec minus recentiores, *Caes. B. G.* 1. 31. – et in eos omnia *mala exempla*, cruciatusque edere – *Tacit. Annal.* 12. 20. – meritum quidem *novissima exempla* Mithridatem – vide et *A. Gellium* 6. 14. Hanc significationem vocis *Forcellinus* vix obscure indicat; ea certe translata est, sed non minus in usu. Non video vero cur Caesar non concederet *bonum* esse exemplum si in scelestissimos homines animadvertatur, cum antea dixisset, *N.* 23. *et* 26., nihil tam acerbum et grave esse quod non illis *merito* accidat. Sit sane *novum* exemplum poena capitalis in parricidas, (quamquam postrema Catonis verba *C.* 52. satis indicent hanc esse ex *more maiorum*) nunquam tamen exemplum erit *malum.* Si quid mutandum esset in lectione vulgata, reciperem – ex bonis initiis – quod et rei convenit et habet exemplum *Sallustii, Cat.* 11. 4., et firmatur *Codicibus* p^3 p^5 γ

C. 51. 37. « neque illis superbia obstabat quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur etc. » Cf. *Cicer. Verr.* 5. *C.* 51. et *Athen. Dipn. lib.* 6. *C.* 21. *p.* 273. *D. ad F. edit. Lugduni a.* 1657., *Gell. N. A.* 4. 5.

C. 52. 1. « Postquam Caesar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie adsentiebantur. At M. Porcius Cato etc. » Difficultas inesse videtur in verbis et sententia. Primum oratio non recte incipere videtur a voce *ceteri* quae solet subiici post alios nominatos, nisi cum posteriora verba aliquem *unum* excipiunt, et tunc vox *ceteri* omnes alios comprehendit, ut *Iug. C.* 113. *fin.* – Ceteri obtruncati: Iugurtha Sullae traditur –. Male etiam *ceteris* opponitur vocabulum *alii,* quod fere idem sonat; deinde in *alius alii* nescias an prior vox sit secundus an tertius casus, et secunda tertius singularis an nominativus pluralis. Porro alienum videtur post orationem Caesaris, quae tota meruit describi, intermiscere quas *aliorum* sententias alii

approbarent; praesertim cum taceant reliqui Historici; nam *Appianus B. C.* 2. 432. tradit sententiae a Caesare dictae, utpote benigniori, summa contentione a maiori parte fuisse consensum, donec Cato suam promeret sententiam; *Plutarchus* in *Iulio Caesare* 8. narrat post Caesaris λόγον πεφροντισμένον assensisse non solum qui post ipsum dicturi essent, sed etiam multos ex iis qui contrariae fuerant sententiae; in *Catone minore* 2. idem narrat, addito nomine Silani qui temperavit suam de poena capitali sententiam, (ut refert *Sallustius C.* 50. *fin.*) et initio *C.* 23. ait oratione Caesaris magnam factam esse mutationem, et *omnes* ad mitius consilium inclinasse, donec Cato assurgeret; et in *Cicerone* 21. nihil de aliorum sententiis dicit, sed de conversa plurimorum opinione ad partes Caesaris, cui primus obstitit Catulus Lutatius, et statim postea Cato. Aequum vero est, post alicuius oratoris verba, narrare historicum quo illa profecerint, et ita fecit *Sallustius* post verba Catonis, *C.* 53. *initio*, nihil de aliis sollicitus.

Nec satis locutio constat si ad *ceteri verbo adsentiebantur* intelligas *uno verbo*, v. gr. *placet, adsentior,* nisi addas – ceteri verbo adsentiebantur *Caesari*, alius alii varie – id enim postulat oppositum *alii,* siquidem est dativus; nec, si *verbo* indicat *sententiae,* omittendum erat *Caesaris* vel *eius,* quod fecit *Valla,* vel *illius* ut in *Commelin.*, ut pateret ceteros sententiae (verbo) Caesaris, alios varie ad alius sententiam accessisse.

Ut haec removeantur incommoda, omnino tenendum est *Sallustium* loqui de *ceteris omnibus* adsentientibus Caesari, praeter unum Catonem; et adsentiebantur alii verbo, alii varie, scilicet vel pedum itione, vel favore gestus nutus, gratia, voce, denique omnibus modis, (cf. *Iug.* 15. 2.); ita ut *alius alii* (alterum nominativo, alterum dativo singulari) sit *forma dicendi* quae indicet omnes, praeter Catonem, adsensos fuisse Caesari, alterna quadam et varia inter se contentione; quae forma occurrit in *Plaut. Trucul* 2. 4. 30. – cum inter nos sorderemus *unus alteri* – Tertius scilicet casus usurpatur cum aliquid inter duos vel plures

transigitur, altero apud alterum, ut ait *Sallust. Jug.* 53. 7., quidquam communiter faciente, *Plaut. Poenul.* 2. 39. – eum necabam illico per cerebrum pinna sua *sibi* –, *Ter. Adelph.* 5. 8. 35. – suo *sibi* hunc gladio iugulo – et in *Sallustio* Cat. 22. 2. – *alius alii* tanti facinoris conscii – cui simile est *Plautinum* – inscientes suae *sibi* fallaciae – Haec dicere impulit *Cortius* aliique Interpretes, qui verba – alius alii varie adsentiebantur – explicarunt – Silano nempe aut Neroni aut Caesari, variatis sententiis –.

Latinis aeque usitatum *assentio* et *assentior*, *Plaut. Amphitr.* 2. 2. 192., sed qui *uno verbo* sententiam alterius probabant *in Senatu*, solebant dicere *assentior*, notante *M. Varrone de lingua Latina* – Assentior tamen fere omnes dicunt. Sisenna unus assentio in Senatu dicebat, et eum postea multi sequuti, neque tamen vincere consuetudinem potuerunt –, ut ex *Gellio* 2. 25.

C. 52. 2. « Longe alia mihi mens est, Patres conscripti, cum res atque pericula nostra considero, et cum sententias nonnullorum ipse mecum reputo » Quaedam similitudinis species effecit ut hoc initium orationis quibusdam videatur sumptum ex *Demosthenis Olynth.* 3. *princ.*, et ita intelligendum – *Alia* mihi mens est cum res et pericula considero, *alia* cum sententias nonnullorum reputo – Post eum qui primus invenit, alii omnes prono capite sequuti sunt. Sed cum sciamus ex *Plutarcho* in *Catone minore C.* 23. quosdam σημειογράφους, qui valde praestarent celeritate scribendi per signa ἐν μικροῖς καὶ βράχεσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, fuisse a Cicerone dispositos in Senatu ut oratorum verba litteris exciperent, et Catonis orationem hanc unicam servatam eo artificio fuisse, arguere fas est, si non omnia verba, certe sententiam et ingenium Catonis hic esse expressa, quem minus credibile est in re tam gravi voluisse flosculos a Graecis delibare et aliorum quam suam sequi rationem dicendi. Quare, si seorsim a Demosthene velimus sententiam loci exquirere, fortasse ita constitui debet – longe alia mihi mens est a *Caesare*, *quandoquidem* et res et pericula nostra considero, et nonnullos audio in tam gravi discrimine mitius sen-

tientes contra rei p. salutem –; aequum est enim oratorem qui alium excipit, statim initio proponere dissentiat an non; praesertim hic ubi tota oratio Catonis oppugnat sententiam Caesaris, et §. 16 aperte dicit – quare vanum equidem hoc consilium (Caesaris) – Et cur, quaeso, dixisset – *longe* alia – cum, si imitaretur Demosthenem, satis fuisset dicere *non eadem* se sentire? Quae differentia, si consideres, Demosthenem iis verbis usum in principio totius orationis, Catonem post verba Caesaris, sententiam meam confirmat. Alibi *Sallustius* non *partitive* sed *coniunctim* duo *cum* posuit – *Cum* vos considero, milites, et *cum* facta vostra aestumo, magna me spes victoriae tenet – *Cat.* 58. 18.; quod vero *cum* interdum significet *quandoquidem* et sit pro causa eius quod affirmatur, patet ex *Sallustio Iug.* 102. 5. – Rex Bocche, magna laetitia nobis est, *cum* te talem virum di monuere, uti aliquando pacem quam bellum malles – *Plautus Poenulo Act.* 3. 3. 74. – multa tibi di dent dona *cum* me salvum esse vis – et *Rudente* 4. 2. 1. – Neptuno has ego meo patrono gratias *Cum* me ex tuis pulchre ornatum expedivit Templis reducem – *Terent. Andr.* 4. 4. 31. – Dis pol habeo gratiam *Cum* in pariundo aliquot adfuerunt liberae –, et adverbio repetito, *Plautus Captiv.* 5. 1. 1. Iovi diisque ago gratias merito Cum te reducem tuo patri reddiderunt, *Cumque* ex miseriis plurimis me exemerunt – et adverbio illo praeposito *Plaut. Rud.* 4. 4. 139 – *Cum* te di amant voluptati est mihi –

C. 52. 3. « res autem monet cavere ab illis magis, quam quid in illos statuamus consultare » Cf. in eamdem sententiam *Terent. Andr.* 3. 4. *fine*, *Eunuch.* 4. 6. 23, *Tacit. annal.* 11. 31.

C. 52. 9. « opulentia negligentiam tolerabat » *Burnouf.* – opulentia negligentiae damna resarciebat – Credo magis proprie interpretandum – opulentia sinebat impune negligentes esse –

C. 52. 16. « sin in tanto metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere – *Plutarch. in Cat. Min. C.* 23. « καὶ καθαπτόμενος τοῦ Καίσαρος ὡς δεδιττομένου τὴν βουλήν, ἐφ' οἷς αὐτὸν ἔδει δεδιέναι –

C. 52. 24. « dux hostium cum exercitu supra caput est » Consentit *C.* 35. - Catilina cum exercitu *faucibus* urget - *Hist.* 3. 61. 22. - quem ipsum (G. Pompeium) ubi pertimuere sublatum in *cervices* suas - *Cicero pro Sulla C.* 9. - quos homines ego a vestris *cervicibus* depuli - Vide *Dietschium Com. C.* 4. *p.* 69.. ubi contra *Linkerum* disserit, qui ex *Ciceronis Cat.* 1. 2. 5, vellet scribi - cum exercitu in faucibus Etruriae agit. -

C. 53. 5. « ac veluti effeta parente » Dum interdum lectiones undecumque petitas sequimur, aut etiam emendationes inducimus, cur non hic placeat lectio Codicis lγ *effeta parente*, casu sexto, quae commodum dat intellectum? namque effeta vis aut aetas dicitur per figuram; translate etiam dicitur effetus homo qui vigorem aetatis amisit, *Cicer. Catil.* 2. 9. - Genus hominum aetate iam effetum, sed tamen exercitatione robustum -; ubi de ipsa parente sermo est, cui scilicet vis generandi defecit, et ἄγονος graece vocatur, *Aristot. ex Gellio* 13. 7., adiectio vis aut virtutis eius non solum vacua est sed turpiter onerat locutionem, *Lucret. R. N.* 2. 1149. - Iamque adeo affecta est aetas effetaque *tellus* Vix animalia parva creat, quae cuncta creavit Saecla deditque ferarum ingentia corpora partu. - item 5. 824. - Sed quia finem aliquem pariendi debet habere Destitit ut *mulier* spatio defessa vetusto - Sed quoniam *Dietschius in praef. min. edit.* laudat *Fr. Ritschl.* (mus. Rhen. 21. 2. p. 316), qui censet locum vocabulo omisso corruptum statuendum potius esse, quam emendationem deteriorum librorum *effeta parente* accipiundam, locumque optime illustravit, nolo, ignoratis illius docti viri argumentis, pertinacius meae opinioni adhaerere.

C. 54. 4. « nihil denegare quod dono dignum esset » Cf. *Iug.* 110. *fin.* Latius vero patet significatio *quod dono dignum*, quam ut ad exiguitatem aut amplitudinem doni pro facultate dantis aut dignitate accipientis coartanda sit, ut vult *Burnouf.*, sed et comprehendit opportunitatem doni et prout cuique gratificari res suadeat. Nec verba respiciunt personam, sed rem; v. *Plaut. Amphitr.* 1. 3. 39. et 40.

C. 55. 4. « camera lapideis fornicibus *iuncta* » Testa-

tur *Dietschius* in sex Codicibus *iuncta* perspicue scriptum legi, in reliquis vix discerni posse utrum *vincta* an *iuncta* habeant » Similitudo quaedam in litteris et in significatione verbi effecit ut interdum promiscue adhiberentur, et *Gerlach. edit. Basileae a.* 1827. tenuit *vincta.* Etiam in *Horatio A. P.* 202. Codices variant in *iuncta* et *vincta*, et Interpretes pro una aut altera lectione stant.

C. 55. 5. « Lentulo quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere.... De Cethego Statilio Gabinio Caepario eodem modo supplicium sumtum est » *Cicero* vero *pro Sulla C.* 10. - meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, *quinque hominibus* comprehensis, atque *confossis*... interitu rem p. liberavi - ubi *Grut.* pro *confossis* legit *confessis.*

C. 57. 1. « reliquos Catilina per montes asperos *magnis itineribus* in agrum Pistoriensem abducit » *Magnis itineribus*, vox militaris, quae redit *Iug.* 37. 3., 56. 2.; item *pleno gradu Iug.* 98. 4. Cf. *Vegetium* 1. 9.

C. 57. 2. « ex difficultate rerum *eadem illa* existimans, quae supra diximus, Catilinam agitare » Cf. *Cat.* 31. 4.

C. 57. 4. « neque tamen Antonius procul aberat utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditos in fuga sequeretur » Haec est plurimorum atque optimorum librorum lectio, quae confirmatur etiam *Prisciani* auctoritate. *Cortius* tamen coniecit - expeditus -, eumque secutus est *Gerlachius edit. Basileae*, interpungens - utpote qui magno exercitu, locis aequioribus expeditus, in fuga sequeretur, sed in *edit. min. Lipsiae a.* 1856. restituit *expeditos in fuga.* Aliqui Codices habent etiam *expeditos in fugam*, quod *Gerlachius* in *Comm.* affirmat latine non dici. *Dietschius* ex coniectura scripsit - magno exercitu locis aequioribus expeditus impeditos in fuga sequeretur ; nam, ait in *Comm. C. p.* 19., si *expeditos in fuga* retineatur, miraculi instar esse si non procul absit qui magno exercitu quamvis locis aequioribus expeditos in fuga sequeretur. - *Idem* in *praef. ad edit. min. Lipsiae a.* 1874. proxime ad verum adcessisse dicit *Fr. Ritschl.* qui scribi

iubet - expeditus tardatos in fuga. - Non displicet oppositio vocum: ea usus est et *Sisenna hist.* 3. *ex Nonio v. expediti* - impeditos expediti sine ullo suorum vulnere cunctos interficiunt -; displicet res. Et mirandum sane si Antonius locis aequoribus et magno exercitu adhuc laboriosum atque arduum haberet impeditos hostes attingere, ipse expeditus; nil mirum si, ad insequendum destinatus, non procul abesset a loco. Et magis congruit rei naturae ut qui in fugam se parat aut proripit, sese expediat ad celeritatem, interdum etiam abiectis armis, inde *Horatio* appellantur *celeres fugae, C.* 2. 7. 9., et 4. 8. 15. Ceterum exercitus aeque dicitur impeditus, sive laboret difficultate loci, sive cum sarcinis et impedimentis iter faciat; quod neutrum dici potest de exercitu Catilinae, quippe et armis parum erat instructus *Cap.* 56. 3., nullo commeatus carrorumque impedimento *Cap.* 58. 6., et Antonius, insequendo, in locis aequioribus iter erat facturus. Cf. *Caesar. B. G.* 3. 19. et 24., 4. 45., 6. 8. et 34., 7. 19. et 27. Emendatio igitur non opportuna. Non respuerem lectionem *expeditos in fugam* quasi non latinam, quia praepositio *in* indicat conatum, aut propensionem, cum notione motus versus aliquid, et aequivalet praepositioni *ad,* quasi dicat *expeditos ad fugam,* ad *fugiendum; Sallustius* promiscue his praepositionibus est usus -, perducit *in* domum, *in* Senatum *Cat.* 40. 6., et 46. 5., rursus - perducit *ad* studium sui, *Iug.* 80. 3.; item procedere *in* locum et *ad* locum *Iug.* 79. 8.., *Iug.* 18. 12., 52. 6. *Virgilius Aeneid.* - At non in venerem segnes - et *ibi* 6. 52. - cessas *in* vota precesque - *Horat. A. P.* - Tyrtaeusque mares animos in martia bella Versibus exacuit - *Sall. Cat.* 50. 2. - exercitatos in audaciam - *Iug.* 37. 3. - milites evocat in expeditionem. -

C. 58. 6. « diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet » Si maxume animus ferat, intellectnm est - etiamsi maxume id cuperemus -, collato *Ovid. Metam. initio,* cui addendus *Horatius Ep.* 1. 14. 8.; sed potest etiam intelligi - si maxume animus toleret -, nam praeter inopiam frumenti atque

aliarum rerum, urgebantur aliis incommodis, et praecipue obstabant duo exercitus hostium contra paucos quorum virtuti nihil aliud supererat nisi ferro iter aperire.

C. 58. 16. « ea vero dementia est » Adverbium adfirmandi cum intensione, quod Itali reddimus – quella sì – Forma haec extat et *Cat.* 37. 4., 61. 1., *Iug.* 50. 6., 58. 3., 84. 1., 94. 3. Graecis ἐνταῦθα δή.

C. 59. 1. « remotis omnium equis, quo militibus, exaequato periculo, animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit » *Caesar B. G.* 1. 25. – Caesar primum suo, deinde omnium ex conspectu remotis equis, ut aequato omnium periculo spem fugae tolleret, cohortatus suos, praelium commisit –

C. 60. 4. « Catilina strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. » Cf. *Cat.* 20. 16. – vel imperatore vel milite me utimini – *Caesar. B. G.* 5. 33. – Cotta in appellandis cohortandisque militibus, imperatoris, et in pugna militis officia praestabat –

C. 59. 3. « ipse cum libertis et colonis propter aquilam adsistit » Hanc aquilam argenteam dicit *Cicer.* in *Catil.* 1. 9. et 2. 6., cui Catilina domi suae sacrarium scelerum suorum constituerat.

C. 61. 2. « quem quisque vivus pugnando locum ceperat eum omissa anima corpore tegebat » et quae sequuntur. *Plaut. Amphitr.* 1. 1. 83., tragice – Sed fugam in se tamen nemo convortitur, Nec recedit loco quin statim rem gerat; Animam omittunt priusquam loco demigrent; Quisque uti steterat iacet, obtinetque ordinem – *Plutarchus Crasso* 11. – δύο μόνους εὗρε κατὰ νώτου τετρωμένους· οἱ δ'ἄλλοι πάντες ἐν τάξει, καὶ μαχόμενοι τοῖς Ρομαίοις, ἀπέθανον –

IUGURTHA

C. 1. 2. « imbecilla atque aevi brevis » Haec ultima accipiuntur pro duobus genitivis, sed fortasse *aevi* est genitivus, et *brevis* nominativus pendens a substantivo *natura*; hoc enim solet *Sallustius*, ut ingens virium *H.* 3. 13., firmatus animi 3. 17., dubius consilii *H.* 3. 81., anxius animi *H.* 4. 72., nimius animi 4. 71., consilii aeger 4. 73., et alibi; idem existimo in *Horatio* - vive memor quam sis aevi brevis - *Sat.* 2. 6. 97., nam et ille saepe his genitivis utitur. Graeci quod breve aevi est dixerunt uno verbo ὀλιγοχρόνιον.

C. 1. 5. « aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa petunt » Aliqui pro *periculosa* probarunt *perniciosa* quod extat in uno libro, cum maius sit pernicies quam periculum; quod futile videtur, contra reliquorum omnium fidem, cum periculi vox quae proxime accedit ad perniciem, satis rei sit apta. *Dietschius* vero *Com. C.* 2. *p.* 21. ex auctoritate *D. Augustini Ep.* 54., utrumque recipit - periculosa ac pernitiosa -, quod, me quidem iudice, peccat nimietate verborum, frustra invocata chiamsi regula, cui nullus locus est, ubi oratio per gradus (αὔξησιν) intendit vim et in eodem ordine procedit; quaedam, scilicet, sunt aliena ac nihil profutura, quaedam *etiam* periculosa. Quin, si chiasmum requiris, non respondent opposita.

C. 3. 1. « quoniam neque virtuti honos datur, neque illi quibus per fraudem ius fuit tuti aut eo magis honesti sunt » Ex multis lectionibus quas hic locus habet, *Dietschius Com. C.* 5. *p.* 114. hanc conflavit - quoniam neque virtuti honos datur, neque illi quibus per fraudem fuit uti, eo magis honesti sunt -; postea in *edit. a.* 1874. hanc aliam dedit - neque illi quibus per fraudem vel vi fuit, tuti aut eo magis honesti sunt - secutus *W. Ro-*

scherum qui eum per litteras monuit. *Roscheri* lectio est valde probabilis, sed etiam vulgata defendi potest.

C. 4. 2. « simul ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere » *Burnouf.* interpretatur – ne quis existimet me extollere memet per insolentiam, studium meum laudando –; rectius videtur interpretandum – ne quis existimet, memet, per insolentiam, extollere studium meum, laudando –

C. 5. 4. « Bello Punico secundo quo dux Carthaginiensium Hannibal post magnitudinem nominis Romani Italiae opes maxume attriverat » Verba *post magnitudinem* intelligi video – ex quo ad magnum gloriae et potentiae fastigium Roma provecta erat –; mihi intelligenda videntur – *praeter* magnitudinem nominis Romani, i. e. *post* attritum nomen, etiam opes attriverat; quae duo diversa et distinguenda; illud enim maiestatis est, hoc potentiae; distinxit et *Horatius C.* 4. 15. 13. – per quas Latinum *nomen* et Italae Crevere *vires, famaque* et imperi Porrecta *maiestas* – vide et *Carm.* 3. 3. 45.

C. 5. 5. « Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit: sed imperi vitaeque eius finis idem fuit » Illud *sed,* quod habent omnes libri, cum non videatur habere cui opponatur, alii sustulerunt, alii pro eo *et* posuerunt; sed etiam adhibito hoc remedio sententia existit inepta, quasi quis post mortem adhuc in imperio esse fingi possit; non enim ea verba – finis *idem* fuit – quae aequam utriusque rei conditionem significant, trahi possunt ad hunc sensum – ad finem vitae usque imperium obtinuit nulla re conlabefactum aut infestatum –. Ut consensui Codicum non derogetur auctoritas, videtur ita oratio connectenda esse – igitur amicitia Masinissae bona atque honesta (idest quae decet virum bonum et honestum, vel honorem ei concilians apud populum Romanum) nobis permansit, i. e. nunquam defecit; cf. *Iug.* 77. 3. *sed* non minus populus R. amico fideli et honesto servavit imperium, quod ei *dono* dederat, (v. paulo ante) usque ad vitae finem, et ita non dispar fuit vitae et imperi finis, utrobique bonus et honestus. Et statim coniungenda censeo quae sequun-

tur de Micipsa (quae *Dietschius* distrahit), ut appareat Masinissam integrum regnum etiam ad filium transmisisse ob eamdem causam servatae usque ad mortem amicitiae in p. R.

C. 7. 6. « magis magisque eum in dies amplecti » *Cic. ep.* 85. « me amicissime *quotidie magis Caesar amplectitur* » *Horat Sat.* 1. 2. 53. – hoc se *amplectitur* uno –

C. 10. 1. « neque ea res falsum me habuit » *Dietschius* repudiat et uncis claudit *ea*, ut sit – res, eventus, non fefellit spem –, opponens *res*, id est *vera eventa, spei*, id est *rebus speratis*. Sed lectio vulgata, quam libri habent, nulla emendatione eget; adeo enim patet nomen *res* ut etiam ad id quod speratur aut timetur extendi possit; sensus est igitur: ea res quam sperabam falsum me non habuit; forma – *ea res* – est vere Sallustiana; Cf. *Cat.* 22. *fin.*. 23. 5., et 51. 33., *Iug.* 7. 3., item *Iug.* 6. 2. et 17., *Hist.* 4. 61. 16.; *Caesari* est usitatissima. Vide *Obs.* ad *Cat.* 22. 2.

C. 11. 6. « nam ipsum illum his tribus proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse » *Dietschius*, post *Linkerum, Comm. Cap.* 4. *p.* 7. 5. putat verba haec repugnare supradictis *C.* 9. 3. – igitur rex ubi ea quae fama acceperat ex litteris imperatoris ita esse cognovit, cum virtute tum gratia viri permotus flexit animum suum et Iugurtham beneficiis vincere aggressus est, *statimque* eum adoptavit et testamento pariter cum filiis heredem instituit –, quippe, si adoptatio facta est *statim* post reditum Iugurthae in Numidiam, quod fuit non post annum 132. quo Scipio Romae triumphavit, quomodo hic dicitur Iugurtham tribus proximis annis (a morte Micipsae, quae fuit anno 118.) adoptatione in regnum pervenisse, scilicet non ante annum 121, distantia annorum 11. inter utrumque tempus? *Linkerus* repugnantiae tollendae causa pro *statim* *C.* 9. 3. corrigit *tandem*, *Dietschius* *C.* 11. 6. delet vocem *adoptatione*, et haec contra omnium Codicum auctoritatem.

Experiar si res componi possit salva lectione. Et distinguenda videntur adoptatio Iugurthae pro *filio*, et adoptatio eius in *regnum*. De priori agit *C.* 9. 3., de secunda *C.* 11. 6.; illa facta est *statim* post reditum Iugurthae in

Numidiam, haec tribus annis ante mortem Micipsae. Distinctionem comprobat ipse *Sallustius* verbis - *adoptatione in regnum* pervenisse, - ubi *in regnum* pertinet ἀπό κοινοῦ et ad *adoptatione* et ad *pervenisse*. Quis de hoc dubitet, cum postea Auctor *C.* 22. 2. per eadem fere verba dicat - ob easdem artes Iugurtham a Micipsa, non penuria liberorum, *in regnum adoptatum esse?*

In *regnum pervenisse* quamquam hic non valeat *regem factum esse,* tamen indicat aliquid amplius quam esse in spe et conditione regni olim potiundi; vim verbi perspicies in *Iug.* 4. 4., 107. 7., *Cat.* 51. 27.; *Horatius Epist.* 1. 17. 37. - Sedit qui timuit ne non succederet. Esto. Quid, qui *pervenit,* fecitne viriliter? - Igitur cum adoptatio et testamentum non darent nisi spem eventus futuri, necesse est verba ita accipere ut aliquid aliud accessisse censeatur. Et obvium est cogitare Iugurtham, qui iam antea factus erat par cum liberis, *C.* 9. 3., 14. 9., quin sapientia et aetate eos antecedebat, *C.* 10. 7., cum contra Micipsa esset morbo confectus, et parum animo valeret, per quinquennium ante mortem, *C.* 9. 4., 11. 2. et 5., fuisse in aliquam partem regni administrandi assumptum decreto aliquo et publico consulto Micipsae, *C.* 11, 5., quod est adoptari in regnum; neque mirandum si Micipsa, qui Iugurtham virtute et gratia praestantem, beneficiis vincere volebat *C.* 9. 3., beneficiis aliis hoc etiam, vivens adhuc, adiecerit participationis regni; quod ipsum, praeter alia, indicant fortasse verba *C.* 14. 9. - quem tu parem cum liberis *regnique participem fecisti* -; certe non abnuunt. Nonne vero tota oratio Micipsae, *C.* 10., talis est ut observantia et officio in Iugurtham abundet, et videatur apud filios potius regem quam fratrem commendare?

Interpretationem adiuvant alia verba *C.* 10. ubi Iugurtha dicitur, parvus sine spe sine opibus *acceptus in regnum,* quae respiciunt tempus ante adoptationem pro filio, et nihil aliud indicant nisi Iugurtham acceptum in domo cum cultu regio; ita ut in multa varietate locutionum distinguenda sint tria tempora, *primum* quo Iugurtha acceptus in regnum, *secundum* quo adoptatus pro filio, *tertium*

quo adoptatus in regnum, particeps regni factus est, in regnum pervenit.

Varia est verbi *adoptare* significatio et ideo non solent Scriptores silere ad quid aliquis adoptetur; praeter *Sallustium* locis adductis, *Plautus Poenul. Prol.* 75. – Emit hospitalem is filium imprudens senex Puerum illum, eumque adoptat sibi *pro filio*, eumque heredem fecit cum ipse obiit diem – *Id. ibid.* 4. 2. 82. – Is *in divitias* homo adoptavit hunc cum diem obiit suum – *Cistell.* 4. 2. 78. – *sociam* te mihi adopto *ad meam salutem* – nec non 4. 2. 78., vide et *Trucul.* 4. 4. 6., *Men. Prol.* 60. *seq.*, *Poenul.* 5. 2. 85. *et* 98., *Terent. Adelph.* 1. 1. 22., 1. 2. 34., *Cicero pro P. Sextio* 4.

Dissensus componendi alia iniri potest ratio, si nempe intelligatur Iugurtha tribus proximis annis in regnum pervenisse, (deteriori significatione *occupandi,* ut *Iug.* 4. 4.) iis quidem de causis quas supra diximus, sapientiae aetatis suae, benevolentiae morbi aetatis Micipsae, fretus tamen praecipue adoptatione, quam Auctor memorat, *C.* 9. 3., factam statim post reditum Iugurthae in Numidiam.

Non intelligo vero cur et quo iure *Dietschius* testamentum Micipsae factum *statim* post reditum Iugurthae in Numidiam, ut manifeste patet ex *C.* 9. 3., transferat ad hoc triennium, quasi ex eo efficiatur Iugurtham in regnum pervenisse, cum contra testamentum, vivente testatore, vires non capiat.

Varietas scripturae est in – tribus his proximis annis – *Dietschius* delet *his* propter aliquos Codices, *Gerlachius* servat, quem sequor propter rationes quas profert *Comm. p.* 229., et quia hoc est ex more *Sallustii*, *Iug.* 31. 2. – nam illa quidem piget dicere *his* annis quindecim quam ludibrio fueritis potentiae paucorum – *Plaut. Pseud. Prol.* 7. – Quid est quod tu exanimatus iam *hos* multos dies – *Pers.* 1. 1. 38. – quos (nummos) continuo tibi reponam in *hoc* triduo aut quatriduo – et 2. 1. 5. – nam equidem te iam sector quintum *hunc* annum – *Terent. Phorm.* 1. 3. 7. – fuisset tum *illos* mihi aegre aliquot dies – *Eunuch.* 2. 2. 46. – Sex ego te totos, Parmeno, *hos* annos

quietum reddam – et *ibid.* 52. et 2. 3. 39. – illum *his* mensibus sex, septem prorsum non vidisse proxumis – et 4. 7. 23.

C. 13. 1. « In duas partes discedunt: plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores » *Illum alterum*, circumlocutio pro *Iugurtham;* ea Historicus cogitationem transfert ad mentem eorum quibus placuerat *alterius* partem sequi; formula redit *Iug.* 16. 5. et 73. 4. Cf. in *Horatio Sat.* 1. 1. 115. – *illum* praeteritum – et 37. – *illis* ante Quaesitis –

C. 14. 12. « qui vostram amicitiam diligenter colerent, eos multum laboris suscipere, ceterum ex omnibus maxume tutos esse » Ea erat maiestas et reverentia populi Romani ut amicos etiam absentes praesidio nominis tutaretur; cf. hic N. 18., *Cap.* 102. 7., – tibi vero nulla opportunior nostra amicitia, primum qnia procul absumus, in quo offensae minimum, gratia par ac si prope adessemus – *Caesar. B. G.* 4. 16. – tantum esse nomen atque opinionem eius exercitus (Romani), ut opinione et *amicitia* populi R. *tuti* esse possint – et 1. 31. – Caesarem.... nomine populi R. deterrere posse, Galliamque omnem ab iniuria posse defendere. – *Tacit. Annal.* 4. 24. narrat obsidium civitatis terrore nominis romani primo incessu solutum. Sed tamen tempore belli Carthaginiensis, quo et ipsi Romani laborabant, Adherbal absentiam dolet – vos amici procul: spes omnis in armis sita – *Iug.* 14. 10.

C. 14. 24. « utinam emori fortunis meis honestus exitus esset, neu iure contemptus viderer si defessus malis iniuriae concessissem » Ad intellectum sententiae cf. *Cat.* 20. 9., *Hist.* 2. 41. 2. *Orat. Cottae.*

C. 18. 1. « hi neque moribus neque lege, neque imperio cuiusquam regebantur » *Moribus* hic indicat ius consuetudine inductum, quod scilicet voluntate omnium sine lege vetustas approbavit. Aliquid differt vis vocis in *Horatio C.* 3. 24. 35. – quid leges sine moribus Vanae proficiunt? – et *C.* 4. 4. 35. – utcumque defecere mores Indecorant bene nata culpae –, nam ibi est rectus animi cultus. Vide *Plautum Trinum.* 4. 3. 21. *seq.*

C. 18, 5. « iique alveos navium inversos pro tuguriis

habuere. » Cf. hic *n.°* 8., *Cap.* 19. 6., 46. 5., *Hist. inc. p.* 450. *Burnouf. edit. Flor. a.* 1829., nec non *Festum, Caton. lib.* 4. *Orig.*, *Serv. ad Aen.* 1. 421., 1. 372., 4. 259., *Columell.* 12. 15., *Curt.* 7. 3. 9.

C. 21. 1. « necessario copias parat » Idem quod infra *C.* 48. 1. - coactus rerum necessitudine statuit armis certare -, idque noto quia aliquibus visum posse eam vocem deleri salva sententia, cum contra indicet regem timidum sibique diffidentem omnia ante expertum fuisse si posset ab armis abstinere. *Caesar B. G.* 1. 51. - *Tum demum necessario* Germani suas copias castris eduxerunt -, vide *eumdem* 5. 23., 6. 4., 7. 14. *et* 86. Idem tamen *Caesar B. G.* 1. 17. - necessario coactus -

C. 23. 1. « praemia modo, modo formidinem ostentare » Cum adverbia aut nomina ita opponuntur solent in altero membro orationis subiici, in altero praemitti adverbio aut nomini, ut *Cat.* 12., *Iug.* 38. 5. et alibi pluries, quod tamen non semper servat *Sall.*, vide *Iug.* 35. 4., 58. 6., 60. 4.

C. 24. 4. « etiam antea expertus sum parum fidei miseris esse » Leniter quidem, sed non obscure, Adherbal accusat Romanos quod sibi opem petenti fidem non habuerint, *Cf. infra n.°* 6. - quae sane fuerint nostrae iniuriae, nihil ad vos - et *fin.* - si ulla apud vos memoria avi mei Masinissae -

C. 26. fin. « omnes puberes Numidas atque negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius fuerat, interficit » *Sellingius* defendit *armatus* quod est in aliquibus Codicibus. Recte *Dietschius* hoc repudiat, nam in deditione arma ponuntur, nec, nisi occulte, servari possunt, ut in *Caesare B. G.* 2. 32. et 33. Et cur in illo tumultu et concitatione animorum, inermes in occursatione segregarentur? Iugurtha non erat hoc ingenio; etiam in nece Hiempsalis quicumque occursarent interfecti sunt, *C.* 12. 5.

C. 31. 2. « quam foede quamque inulti perierint vostri defensores » Existimo pro *inulti*, legendum esse *multi* quod habent aliqui Codices, nam vox *inulti* non admittit plus vel minus, et ideo vapulat ut ἰδιωτισμὸς Praenestinus *tam modo* quem ridet *Plautus Trinum* 31. 8. Ad interpretatio-

nem confert. n. 7. - item vestri ordinis *multi* mortales in carcere necati sunt - Mutationem facilem vocum vide in *Dietsch. fragm. Hist.* 3. 74.

C. 31. 10. « sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes: proinde quasi ea honori non praedae habeant » *Codex Vaticanus* habet - honores non praedas -; ex quo *Dietschius Com. C.* 5. *p.* 119. effecit - honori non praedas -, recte observans non agi de praeda ex honoribus capienda, sed de honoribus quasi pro praeda captis. Cur vero non servavit totam lectionem Vaticani?, quae non est contemnenda, quia simillime vetus Poeta apud *Ciceronem de Orat. lib.* 3. *Cap.* 26. scripsit. - Nam sapiens virtuti honorem praemium, haud praedam petit -; quippe honor is proprie dicitur qui delatus est digno; si praemium virtutis indigni nacti sint, potius *nomen* honoris, quam honorem adepti dicuntur, ut ait *Cicero Bruto Cap.* 81. § 281. Sed et aliam propono, levissima mutatione a vulgata - quasi ea honori non praedae debeant - i. e. quasi ea accepta referre possint dignitati suae non sceleri. Verbum debere hac significatione usurpavit *Plautus Mostell.* 3. 3. 23. - eam mihi debeo gratiam atque animo meo -

C. 31. 11. « Servi aere parati iniusta imperia dominorum non perferunt: vos, Quirites, in imperio nati, aequo animo servitutem toleratis? » cf. *infra* 17. - vos pro libertate quam ab illis accepistis nonne summa ope nitemini? - et *Catonem fragm. in Q. Minucium Thermum de falsis pugnis* - Servi iniurias nimis aegre ferunt: quid illos bono genere natos, magna virtute praeditos opinamini habuisse atque habituros dum vivent? -

C. 31 17. « Maiores vostri parandi iuris et maiestatis constituendae gratia bis per secessionem armati Aventinum occupavere » Mirum si tribunus plebis, in concione ad populum, de secessione tacuisset, quam memorabat magis ad ornatum orationis quam ad temporum et morum opportunitatem; quippe in desuetudinem iamdudum abierat, animis ad nihil virile audendum prolapsis, cf. *supra* n. 6., *infra* n. 25., *Cat.* 33. 4., *H.* 1. 9., 3. 61. *n.* 1. *et* 17., *Oratio Macri.*

C. 31. 26. « nam impune quaelibet facere id est regem

esse » cf. *Iug.* 64. 5. – homo inanis et regiae superbiae –, 85. 35. – id est dominum non imperatorem agere – *Hist.* 1. 9. – de vita atque tergo regio more consulere – Cicero accusatus quod in consulatu morem regium tenuisset, respondit a se non institutum regnum sed non permissum, quo tangit malam Catilinae ambitionem, de quo *Sall. Cat.* 5. 6. – dum sibi *regnum* pararet nihil pensi habebat –, vide *Cic. pro Sulla c.* 7. 8. 17.

C. 37. 4. « planities limosa hiemalibus aquis paludem fecerat » *Seneca Ep.* 114. 19., (19. 5.) – dixit Sallustius: aquis hiemantibus –. Hac auctoritate *Dietschius Com. C.* 5. *p.* 120., *Linkerum* sequens, reponit *hiemantibus*. *Hiemare* hic non potest intelligi de aquis cum decidunt per imbres licet effusos, quia tunc rectius dictum oportebat – imbribus aut aqua pluvia –; deinde hiemare, quod est procellam facere, violenter agitari, dici solum potest de aqua collecta, et praecipue de mari, *Horat. Satir.* 2. 2. 17. – atrum Defendens pisces hiemat mare. – Haec significatio loco apta non est; nec enim, credo, aquae in palude temporaria hiemem ciebant, neque hoc res poscebat, cum satis esset si quoquomodo difficultatem loci augerent. Alio modo *hiemare* significat hiemis tempus transigere; et plerumque de exercitu in stativis hibernis agente, *Sall. Iug.* 39. 4, 61. 2., 68. 2., *Horat. Epist.* 1. 16. 71. – naviget ac mediis hiemet mercator in undis. – Qua propter tenendum aut *Senecam* non respexisse hunc locum, aut si respexit, esse corruptum.

C. 39. 9. « cum Aulo in colloquio verba facit: tametsi ipsum cum exercitu fame et ferro clausum tenet, tamen se memorem humanarum rerum, si secum foedus faceret, incolumes omnes sub iugum missurum » *Dietschius* emendat – tametsi clausum *teneret* –; quaero iam quo tempore?

Ad verba – tamen se memorem humanarum rerum – cf. *Iug.* 104. 2.

C. 38. 10. « tamen quia mortis metu mutabantur pax convenit » *Dietschius* emendat – mortis metum intuebantur; – *Gerlachius* retinens mutabantur, intelligit – quia hoc modo,

mortis metu liberabantur –, sed ita magis sententia quam verba explicantur; nam mutabantur non respicit Romanos, sed illa gravia et flagitii plena, quae tutiora et amplectenda prae morte honesta visa sunt, *Horat. Epist.* 1. 7. 36. – nec Otia divitiis Arabum liberrima muto –

C. 41. 6. « Ceterum nobilitas factione magis pollebat, plebis vis soluta atque dispersa, in multitudine minus poterat. » Inde *factioni* adhaesit significatio potentiae, opum *Plaut. Cist.* 2. 1. 17. – neque nos factione tanta, quanta tu sumus, Neque opes nostrae tam sunt validae quam tuae –.

C. 46. 1. « simul de innocentia eius (Metelli) certior Romae factus » *Dietsch. Comm. Cap.* 5. *p.* 121. contra omnes Codices emendat cum *Kritzio* – *Roma* –, quia quod duobus ante annis factum sit parum recte adverbio *simul* efferretur cum potius conveniret – simul Romae expertus –. *Gerlachius* servat Codices, a quibus non recederem ob levem causam quae adfertur, cum notitia illa innocentiae, quam Romae perspectam habuerat, adhuc perduraret atque animo Iugurthae obversaretur, et nihil persuadeat illam de improviso accessisse per nuncios aut per litteras, ut illi volunt.

C. 46. 3. « Metello iam ante experimentis cognitum erat genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum esse – Cf. *Iug.* 91. *fine.*

C. 47. 2. « Huc Consul simul tentandi gratia, et si paterentur opportunitate loci, praesidium imposuit. – Recte *Dietsch. Com. C.* 2. *p.* 21. lectionem hanc a *Grutero* propositam improbat, quia pervorsum est opportunitatem tunc accessuram si Vaccenses paterentur, et scribit – simul temptandi gratia si paterentur, et ob oportunitates loci –, quod mihi haud magis probatur, quia *Sallustius* non praemittit ita hoc adverbium cum duas aut plures proponit causas alicuius facti aut consilii, quarum altera alteri accedat, sed priore enunciata, alteram eo adverbio incipit, *Iug.* 4. 2. – cuius de virtute quia multi dixere praetereundum puto, *simul* ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere. – *Cat.* 16. 4. – Eis amicis sociisque confisus Catilina, *simul* quod

aes alienum per omnes terras inegens erat... opprimundae rei p. consilium cepit – et 20. 3. – Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortes fidosque mihi, eo animus ausus est maxumum atque pulcerrumum facinus incipere, *simul* quia vobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi – idem vide *Cat.* 19. 2., 56. 5., 58. 3, *Iug.* 20. 1., 25. 5., 46. 1., 70. 5., 76. 2., 102. 5. *et* 12. Nec *Sallustius* solet mutare constructionem, ut hic ubi de ablativo cum gerundio transitur ad praepositionem, sed inceptam continuat, *Iug.* 84. 5. – Marius *hortandi* causa simul et nobilitatem *exagitandi* concionem advocavit –, aut certe, si ponit *simul* initio eumdem nominis casum servat, *Iug.* 70. 5. – Bomilcar simul *cupidus* incepta patrandi, et timore socii *anxius* – Quam ob causam, credo, *Linkerus* pro *oportunitate* scripsit *oportunitatis,* ut ex *var. lect. Dietschii.* Mihi persuasum est *simul* aut perperam repetitum esse ex proxima voce *consul,* aut, si retinetur, transponendum esse ita – Huc consul, tentandi gratia si paterentur, simul opportunitate loci, praesidium imposuit – nam *simul* loco motum video in *C. T.* Cf. *Iug.* 37. 4. *et* 48. 2.

C. 50. 2. « Deinde ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paullatim procedere, Marium post principia habere, ipse cum sinistrae alae equitibus esse. » In re militari, Latinis usurpatum *principia* et *postprincipia.* Vox *principia* varie sumitur; ea, praeter communem notionem, indicat primo locum in castris ubi Tribuni ius dicere solebant, qui locus maxime erat frequens, unde C. Gracchus in oratione quam refert *A. Gellius* 15. 12., dixit – neque pueri eximia facie stabant, sed in convivio liberi vestri modestius erant quem apud principia –; vide et *Livium lib.* 37 et 38., *Florum* 3. 10., *leg.* 4. *Dig. de re militari.* Secundo, *principia* in legionibus sunt milites qui principem locum tenent i. e. in principio aciei instructi sunt, et ita dicta sunt ut servi servitia, quamquam alii teneant primum ordinem in legionibus esse hastatorum, postea principum, deinde triariorum. Thraso, miles ille gloriosus et ineptus in *Terentii Eunucho* 4. 7. 11. – Tu hosce instrue; hic ego ero post principia, inde omnibus signum dabo. *Gn.* illuc

est sapere; ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco. *Thr.* idem hoc iam Pyrrhus factitavit –. Postprincipia vero (coniuncte) sunt milites collocati post principia, vel locus quem ii milites tenent; transfertur etiam significatio ad omnia ea quae, facto principio, sequuntur, *Varro* ex *Gellio* 16. 18. *fin.* – voluptas harum disciplinarum in *postprincipiis* existit quum perfectae absolutaeque sunt; in *principiis* vero ipsis ineptae et insuaves videntur – et in *Sisenna* vel de *Historia* – quod si non horum omnium similia essent *principia* ac *postprincipia* – et 3 *de R. R.* – Ego vero a *postprincipiis* (incipio) ut *in castris,* hoc est ab his potius temporibus quam superioribus – *Plautus Persa* 4. 1. 4. – sic ei procedunt *postprincipia* denique – ubi *Scaliger* – castrense proverbium est, a *postprincipiis* incipere, in *postprincipiis* stare, in *postprincipiis* esse. Et non disiuncta haec sed coniuncta sunt. – *Post principia* disiunctim occurrit in adducto *Terentii* loco, item in *Livio* 2. *versus finem.*

Iam vero quaeri posset quanam significatione *Sallustius post principia* usurpaverit. Secundum lectionem vulgatam verba debent disiungi, praepositione et nomine, quia infinitivi historici pendent omnes a nominativo – ipse Metellus – qui et paullatim procedebat, et Marium post principia habebat, et cum sinistrae alae equitibus erat. Sed mihi non videtur recte dictum – imperator *habet* legatum post principia –, neque ita alias locutum *Sallustium* comperio; diversum enim videtur quod *Cat.* 14. 1. ait – circum se stipatorum catervas *habebat* – quod significat circumdare sibi, cum quadam demonstratione et non sine *translatione;* ita et *Caesar B. G.* 1. 18. de Dumnorige imperium affectante – magnum numerum equitatus suo sumptu semper alere et circum se habere –. Rectius videbatur dictum, Marium *habere* (tenere, curare) postprincipia et infinitivo *habere* supplendum – iubet – ut *Cat.* 59. 3. – C. Manlium in dextra, Faesulanum quemdam in sinistra parte curare *iubet* –, item *Iug.* 57. 2.; vel legendum nominativo – Marius habere postprincipia –, quod suadet repetitio pronominis *ipse*, quae iam praecesserat initio;

solet enim *Sallustius*, cum ordinem quo exercitus ad pugnam instruitur raptim exponit, ab imperatoris partibus incipere et ad ipsas redire, *Iug.* 46. 7. – itaque *ipse*, (Metellus) cum expeditis cohortibus... apud primos erat, in postremo *C. Marius* legatus cum equitibus curabat; in utrumque latus auxiliares equites tribunis legionum et praefectis cohortium dispertiverat (Metellus) – item 100, 1. *ad* 4. Imperator, pronomine *ipse*, satis ab aliis ducibus distinguitur *Cat.* 59. 3.

C. 51. 4. « simul orare et hortari milites ne deficerent, neu paterentur hostes fugientes vincere: neque illis castra esse neque munimentum ullum quo cedentes tenderent, in armis omnia sita. » *Illis* referendum ad Romanos non ad hostes, quamquam proxime nominatos; quippe et ita imperator solet excitare ad virtutem milites, et quae sequuntur verba – omnia in armis sita – satis indicant nullum aliud superesse perfugium, quod apertis verbis postea dicitur 52. 3.

C. 53. 3. « Numidae tantum modo remorati dum in elephantis auxilium putant. » *Tantum modo dum*, coniungenda, significat, eousque tantum remoratos quousque, etc.

C. 53. 5. « At Romani quamquam itinere atque opere castrorum et praelio fessi laetique erant » *Dietschius Com.* 2. *p.* 22 putat post *laetique* excidisse vocem *victoria* aut similem, quod opportune additum nemo negaverit, si quidem *Sallustius* addidisset; sed Codices nihil coniecturam adiuvant. Cum igitur *Sallustius* agat de praelio quod feliciter successerat, facile perspicitur inde laetitiam ortam quamquam fessis. Ita *Cat.* 46. 2. – Cicero, coniuratione patefacta, cura simul et laetitia occupabatur. –

C. 53. 7. « Ac primo, obscura nocte, quamquam haud procul inter se erant, strepitu velut hostes adventare, alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere » Lectio *adventare* librorum consensu firmatur. *Gerlachius* observat infinitivum, post *velut*, insolitum esse, et inde ortum debere intelligi quod infinitivus historicus sequitur, aut positum Graecorum exemplo ubi in oratione obliqua infinitivus omnes coniunctiones sequitur. *Dietschius Comm.*

5. *p*. 121. corrigendum putat – velut hostes *adventarent*. – Mihi videtur infinitivus pendere a *strepitu* in quo sit quaerenda vis verbi, scilicet, *Romani strepebant, strepitu significabant, hostes adventare,* et *velut* indicare opinionem quasi adventus hostium, quod erat contra veritatem.

C. 54. 8. « et qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere cogebatur. » Quamquam, in re praesertim militari, locus suus vel alienus valeat plerumque pro loco opportuno aut difficili, tamen hic existimo *proprie* accipi debere, contra opinionem *Burnoufi,* quia qui *defendit* loca, ea tenet et ut *propria* habet; et sane post initium belli Iugurtha multas civitates, oppida et agrum amiserat et in Romanorum potestate reliquerat, ut magis de retinendo quam de recuperando certare cogeretur, cf. *Iug*. 66. 1. – Iugurtha civitates quae ab se defecerant adfectare; communire *suos* locos. – *Caesar* in sensu *proprio B. G*. 2. 10. – ut ad eos *defendendos* undique convenirent, et potius in *suis* quam in *alienis* finibus decertarent – et 5. 50. – si forte timoris simulatione hostes in *suum* locum elicere posset – et *Sallust. Iug*. 48. 1. – urbs maxima *alienata* – ubi idem *Burn*. interpretatur – facta hostium, ideoque aliena quae prius sua esset.

C. 57. 5. « oppidani sudes, pila, praeterea picem sulfure et taeda mixtam, ardentia mittere » Cf. *observata* ad *Cat*. 10. 2. *Dietschius Com. Cap*. 5 *p*. 122. ex variis lectionibus praefert – praeterea picem sulfure et taeda mixtam ardenti –, quia a veri specie abhorrere existimat pila, aut certe sudes, ardentia missa esse, confirmatus maxime loco 60. 6., ut advertit in *edit. min*. Quidquid ignem concipit atque alit, ad incendium immitti potest, ut etiam sudes ac pila materiam efficiant igni ingerendo, praecipue si alia deficiant, *Caesar B. G*. 7. 24. – alii faces atque *aridam materiam* de muro in aggerem eminus iaciebant, picem *reliquasque res quibus ignis excitari potest*, fundebant. – Magis obesse videtur adverbium *praeterea*, quod videtur indicare transitum ad aliud genus missilium, ab acutis ad ferventia, ita ut incertus sim cui lectioni magis sit adhaerendum.

C. 60 fin. « denique praelium nox diremit. » *Plaut. Amphitr.* 1. 1. 99. - sed praelium id tandem diremit nox interventu suo. - *Liv.* 9. *p.* 251. - ancipiti praelio dimicatum est... nox incertos victi victores ne essent, diremit. -

C. 63. 6. « tamen is ad id locorum talis vir » *is* et *talis* in hoc conveniunt ut dignitatem viri demonstrent, Cf. *Iug.* 6. 3., 10. 8., 63. 6., 102. 5., 112. 3., *Hist.* 1. 29. et *obs. ad Cat.* 18. 4. Sed is et talis coniuncta nunquam alias usurpavit Auctor, ni fallor, quamquam *Iug.* 31. 9. - haec talia facinora. -, *Iug.* 10. 8. - talem hunc virum -; hic vero *is ad id talis*, tribus monosyllabis, etiam aures offendit. Ad id locorum valet ad id temporis, ut *Iug.* 72. 2., 102. 1., *Plaut. Poenul.* 1. 1. 16., *Men.* 3. 1. 1., *Capt.* 2. 3. 25., *Cas.* 1. 1. 32., *Trucul.* 3. 1. 16.

C. 65. 2. « praesidium negaverat, (equitum Romanorum) quod contumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur. » *Eos* intelligo ipsos equites, tum quia ratio id poscit, tum quia solent et optimi scriptores nomen quod praecessit repetere, *Caesar B. G.* 1. 6. *initio* et *fine*, 1. 16., 1. 49., 2. 18., 4. 7.

C. 65. 3. « ut contumeliarum in imperatorem cum suo auxilio poenas petat » Alii legunt ab imperatore, alii imperatori, alii imperatoris, quae ultima lectio potior videtur, et exemplum habet in *Sall.* servitium Iugurthae; *Iug.* 94. 4., insidiae Iugurthae *Iug.* 55. 4., metus Pompei victoris *Hist.* 1. 39. *Caesar. B. G.* 1. 30. Helvetiorum iniuriae. *Cortius* contendit *poenas in aliquem poscere* non recte dici, quamquam *Livius* 1. 23. 4., *Curtius* 4. 6. 29. et *Vell. Pat.* 1. 126. hanc constructionem tueri videantur.

C. 67. 1. « Romani milites improviso metu incerti ignarique quid potissimum facerent, trepidare; arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, praesidium hostium, portae ante clausae fugam prohibebant » *Dietschius Com. Cap.* 2. *p.* 23. verbum excidisse putat, et vult legi - *ad* arcem oppidi... *obsidebat* praesidium hostium; portae ante clausae fuga prohibebant -; in *editione minori* verbum *obsidebat* omittit. *Cortius* legit - trepidare ad arcem oppidi - exemplo *Livii* 9. 37. 9. - ad arma trepidantes -, cui addo

Sallustium in verbo consimili *Iug.* 69. 2. - alii ad portas festinare. - Cf. *Cat.* 31. 2., *Iug.* 85. 10. *Gerlachius* recte hanc lectionem reiicit, cur enim milites, anxii ad arcem oppidi discurrerent? et in *edit. min.* dat lectionem quam capiti praeposui, quae potior aliis videtur; neque hoc est genus zeugmatis insolitum, ut tenet *Dietschius*, quia facile intelligitur verbo *arcem* indicari *perfugium* ad arcem, recte coniunctum cum *fuga* per portas, quae utraque simul prohibebantur, duobus diversis modis.

C. 67. 3. « saevissimis Numidis et oppido undique clauso » Graeci genitivum absolutum non adhibent nisi addito nominibus verbi participio. Latini non item in ablativo absoluto qui participio carere potest, *Caesar. B. G.* 3. 5. - languidioribusque nostris vallum scindere - *idem* 2. 9. - secundiore praelio nostris. -

C. 70. 5. « Is (Nabdalsa) postquam magnitudine facinoris perculsus ad tempus non venit, metusque rem impediebat » *Burnoufus* metum refert ad Nabdalsam - metus eum venire prohibendo rem omnem impediebat. - Idem facere videtur *Gerlachius* qui adnotat - notanda temporum mutatio -, quasi de eodem subiecto agatur. Sed ita supervacanea fieret adiectio, postquam dictum erat *magnitudine facinoris perculsus.* Nec interpretatio adiuvatur sequentibus - timore socii anxius -, quasi Nabdalsa timeret, nam timor socii est timor a socio ut in *Hist.* 2. 1. 39. - id bellum excitabat metus Pompei victoris -. Conferendus *Gellius lib.* 9. 12., de verbis quae in utrámque partem significatione reciproca et adversa accipiuntur, ubi adducto eo loco *Sallustii* ait - metus hostium recte dicitur et cum timent hostes, et cum timentur. Itaque Sallustius in h. l. metum Pompeii dixit non quod Pompeius metueret (quod est usitatius), sed quod metueretur -; idem dicito de iniuriis et insidiis alicuius quas saepissime *Sall.* usurpat in utramque partem. Ceterum Bomilcari causa timendi erat idonea ne Nabdalsa vel ab incepto desisteret per mollitiem atque socordiam, ut dicunt subiecta verba *Sallustii*, vel consilium proderet; timoremque eventus probavit. Quin, Nabdalsa absente, qui scilicet statim post

sumptum consilium, profectus erat ad exercitum, quomodo poterat Bomilcar eius animum exploratum habere? Inde nil mirum si tempora mutata sunt, nam et Nabdalsa ad tempus non venerat, et *interea* Bomilcari, quamquam cupido incepta patrandi, metus ille suus rem impediebat, ita ut consilium desereret ac nihil auderet.

C. 72. 1. « Bomilcare aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis, iram oppresserat, ne qua ex eo negotio seditio oriretur. » Credas idem expressum notis verbis – ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ –. Nabdalsae tunc Iugurtha pepercit, quia sciebat eum magnis opibus esse et carum acceptumque popularibus suis, supra *C.* 70. 2., neque ex multorum caede invidiam sibi conflari volebat.

C. 72. 1. « Iram oppresserat » Opprimere compositum, pro simplici premere; non enim iram deposuerat sed latentem servabat quandoque erupturam, quod indicant praemissa verba. – Ad ea rex aliter atque animo gerebat placide respondit. – *Virgil. Aen.* – premit altum corde dolorem – *Terent. Phorm.* 5. 7. 93. – os opprime. –

C. 73. fin. « sed paulo ante Senatus Numidiam (provinciam) Metello decreverat. » Ita *Gerlach. edit. min.; Dietschius* propter varietatem lectionum pene infinitam putat hic excidisse aliqua verba; vide eum. *Comm.* 1. *p.* 13. Cf. tamen *Iug. C.* 62. *fin.* et quae hic notat *Burnoufus.*

C. 73. 6. « et sua necessaria post illius honorem ducerent. » *Plaut. Mil. gl.* 3. 4. 7. – omnes res posteriores pono –. *Burnouf. necessaria* explicat *res ad vitam necessarias; Gerlachius* – suas res, sua negotia quibus *victum* quaerebant. – Latius tamen vox patere videtur ut praeter victum comprehendat etiam quaecumque iuvant, et bono cuiusquam favent, ideo pro caris habita atque aegre dimittenda; quare *Sallustius Iug.* 14. 16. *necessaria* opposuit *adversis,* et *Festus* vim vocis declarans scripsit – necessarium ait esse Opilius Aurelius in quo non sit cessandum, aut sine quo vivi non possit, aut *sine quo non bene vivatur,* aut quod non possit prohiberi quin fiat. –

C. 75. 1. – ubi plerique thesauri erant – *Dietschius* legit – ubique plerique –, quod a *Sallustio* profectum non

credo; aures enim renuunt, et enclitica parum accommodata est.

C. 77. 1. « ni id festinaret, in summo periculo suam salutem, illorum socios fore – Si haec significant, in summo periculo salutem Leptitanorum, qui essent socii Romanorum, fore, fatendum est constructionem esse insolitam; ponendum enim esset accusativum *salutem* attrahere alium *socios*, zeugmate insolito; (aliud enim est *Cat.* 51. 43. – senatum existimare eum contra rem publicam et salutem omnium facturum), aut accusativum *socios*, nempe Leptitanos, contineri in voce *suam* quasi significantem *se*. Credo lectionem corruptam quia Codices admodum variant dum exhibent – *salutem illorum*, addito alia manu *et* – *salutem et illorum* – *illos* – *sociorum*. – Videbatur scribendum – in summo periculo salutis se illorum socios fore. –

C. 79. 6. « ubi per loca aequalia et nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea magna vi agitata, ora oculosque implere solet, ita prospectu impedito morari iter » Cf. *Herodotum* 3. 26. de exercitu Cambysis in Ammonios pergente, arenis obruto.

C. 79. 8. « Graeci, optionem Carthaginiensium faciunt » Libri *p6g* habent Carthaginiensibus *ex correct.*, quod fortasse a glossatore est qui vellet explicare optionem faciunt; agitur enim de optione a Graecis data Carthaginiensibus, et solet dici optionem facere dare *alicui;* sed manifeste locus est ita intelligendus: faciunt permittunt optionem esse Carthaginiensium, nam dicitur optio mea, tua, *Plautus Casin.* 2. 4. 13.

C. 80. 4. « Bocchus initio huiusce belli legatos Romam miserat foedus et amicitiam petitum. » cf. *Iug.* 102. 14.

C. 81. 3. « ad Cirtam oppidum iter constituunt quod ibi Metellus praedam captivosque et impedimenta locaverat » *Dietschius Com. C.* 2. *p.* 26. ex nonnullis Codicibus scribit – quod ibique, – post quae, verba excidisse putat, ex. gr. – ibique et in vicinis castellis –, adducto exemplo *Sallustii Iug.* 89. 7. – ibique et in omni Africa; – sed quorsum, indicans causam itineris ad Cirtam, alia castella

nominaret? Diversum est 89. 7., ubi cultum Numidarum naturamque locorum tangit, et arrepta occasione pluribus exponit, ut solet. Quin non videtur probabile, impedimenta dispertita esse in pluribus castellis munitis, quia et Numidia castellis non abundabat, et impedimenta solent collocari non adeo longe ab exercitu, *Caes. B. G.* 1. 24. et 26. Alii tamen Codices habent - ibi Q. Metellus -, quod verum videtur.

C. 84. 3. « quia neque plebi militia volenti putabatur, et Marius aut belli usum aut studia vulgi amissurus. » *Belli usum* non bene explicatum censeo a *Gerlachio* - quae ad bellum gerendum opus sunt - et non congruere exempla adducta *Cat.* 48. 2. - usus quotidianus - et *Iug.* 43. 3. - usui bello esse -; potius significare videtur belli administrandi et gerendi facultatem, copiam amittere, ea uti non posse, hoc enim eventurum erat si plebes militiam recusasset, quod tacite cupiebat Senatus. Ita *Caesar B. G.* 3. 14. usum navium *ereptum* dixit abscissis funibus qui antennas ad malos deligant - et 4. 1. - nec ratio atque usus belli intermittitur. - *Tacit Annnal.* 1. 70. - illis honestae mortis usus. -

C. 85. 16. « Ac si iam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset mene an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros creditis, nisi sese liberos quam optumos voluisse? » Responsio non congruit quaestioni, quod tamen, in re aperta, non tribuendum verecundiae. Cf. 85. *fin.*

C. 85. 20. « nae illi falsi sunt qui diversissimas res pariter expectant, ignaviae voluptatem et praemia virtutis. » *Burnouf.* interpretatur - certe illi spes irritas alunt -, quod non probo, quia falsi sunt non *spe,* quasi quod sperant non assequantur, (tota siquidem oratio Marii exagitat istos homines praemiis virtutis auctos, vid. hic *nn.* 19. 37. et praesertim 42. in haec verba - ubi se omnibus flagitiis dedecoravere, turpissimi viri bonorum praemia ereptum eunt -;) sed falsi *animo,* quia sibi non constant moribus quos praeseferunt, dum *pariter* cupiunt ac sibi polliceantur, quasi debita, *contrariorum* commoda, ignaviae et virtutis. Quidam Codices habent *expetunt* pro *expectant.*

C. 85. 26. « Equidem ego non ignoro, si iam mihi respondere velint, abunde illis facundam et compositam orationem fore – *Dietschius Comm. C.* 4. *p.* 127. tuetur ex aliquibus Codicibus – abunde illis *facundiam* et compositam orationem fore – quia cum facundus is sit qui fandi i. e. verborum profundendorum copia polleat, de homine recte dicatur, non de oratione quae ipsa profunditur –; sed quia ita videtur deficere aequabilitas membrorum, et defluere oratio si non aliud adiectivum ad *orationem* referatur, sed substantivum anteponatur, vult *abunde* cum *facundiam* coniungendum esse, non cum *fore*, credo ut valeat pro adiectivo. Quamquam interdum adverbium cum nomine vice adiectivi fungatur, ut in adverbio affini *satis* et *parum, Cat.* 5. 4., tamen rectius *abunde* verbo cohaerere dicas, quod in tali constructione nunquam deest, expressum vel intellectum, sive sit substantivum *esse*, sive *habere*, sive aliud simile; indicio est *Cat.* 21. 1. – mala abunde *omnia* erant – et *Iug* 63. 2. – alia *omnia* abunde erant – et 14. 18., in quibus circumlocutio valet *abundabant;* Cf. *Horat. Sat.* 1. 2. 58., *Epist.* 1. 4. 10. Praeterea quod de homine dicitur cur non recte, saltem per *figuram*, et de eius oratione dicatur? *Ennius* allatus a *Gellio* 20. 10. – Haud doctis dictis certantes sed maledictis – et *Caesar B. G.* 1. 17. – seditiosa atque improba oratione multitudinem deterrere – *Ovidius* vero allatus a Dietschio *Metam.* 13. 127. diserte adiectivum iungit *orationi* – nec abest *facundis* gratia *dictis;* cuius auctoritatem non minuerem quasi non sit concedendum hoc pedestri generi; agitur siquidem de proprietate verborum, petenda etiam a Poëtis melioris aevi. Sed et *Sempronius Asellius,* quem memorat *Gellius* 4. 9., scripsit – facta sua spectari oportere; *dicta* non, si minus *facundiosa* essent. – De inclinamentis nominum in *undus* et *osus,* vide *Gellium* 11. 15., 3. 12., et 4. 9.; respondet terminatio in ώδης apud Graecos.

C. 85. 27. « nam me quidem, ex animi mei sententia nulla oratio laedere potest, quippe vera necesse est bene praedicet, falsam vita moresque mei superant » *Dietschius ibidem,* cum videat aliquos Codices habere *praedi-*

cent et *falsa,* mavult legi - quippe vera necesse est bene praedicent, falsa vita moresque mei superant -, explicans - quae vera sunt ea homines non laudare non possunt, quae falsa per vitam meam et mores refelluntur -; magis arridet vulgata lectio quam tenet et *Gerlachius,* nam postquam praecessit *nulla,* recte et congruenter subiicitur uterque orationis eventus, ut nusquam obesse appareat.

C. 85. 32. « Neque litteras Graecas didici, parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. » Opponit discere et docere; quomodo enim quod doctori non prodest ad virtutem, prosit discipulo? Cf. *Plutarch.* in *Mario C.* 2. ubi et μανθάνειν opponit διδασκάλοις.

C. 86. 3. « Marius interea milites scribere, non more maiorum neque ex classibus, sed, ut cuiusque lubido erat, capite censos plerosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant - *Burnouf. bonorum* interpretatur *ditiorum*, quod censeo non esse ex mente *Sallustii;* cum enim capite censi a muneribus publicis et a militia arcerentur tamquam *indigni*, et nisi in tumultu maximo nunquam scriberentur, *Gell.* 16. 10., patet *bonos* hic significare *idoneos* militiae, ut opponantur iis qui non sunt idonei et digni, eo modo quo *Sallustius Iug.* 7. 5. dixit *bonus consilio,* et 17. 5. *ager bonus pecori. Plutarchus* in *Mario C.* 9. haec ipsa referens ait - ἀλλ' ὥσπερ ἄλλο τι τῶν καλῶν,τὰ ὅπλα μετὰ τιμῆς τοῖς ἀξίοις νεμόντων. - Vide tamen *Plaut. Captiv.* 3. 4. 51.

C. 87. 1. « praelia multa, ceterum alia levia aliis locis facere. » Consentiunt in hac lectione omnes Codices, ut testatur *Dietschius Comm.* 3. *p.* 45., sed pariter Docti consentiunt perversam esse, et legendum - praelia multa, ceterum levia, alia aliis locis facere -, quia Marii exercitus abundans militibus novis, experiundi causa *omnia* levia faceret. Fortasse eadem sententia existere potest, verbis loco non motis, si intellectu transponantur, et teneamus *ceterum* iungi debere non ad *alia levia* sed ad *aliis locis,* ita ut *multa* sint *omnia levia*, ceterum ex his alia aliis locis, quo, magis diversitate locorum quam multitudine

praeliorum, assuescerent milites tentare varias belli rationes, regionisque ignoratae scientes fierent. De transpositione vocum quae sunt in posteriori membro orationis, trahendis tamen communiter ad prius, vide *observata* ad *Cat.* 14. 5. et praesertim locum *Sallustii Iug.* 78. 2. – cetera uti fors tulit alta, alia in tempestate vadosa – ; vel sic interpretare, si lubet – praelia multa, ceterum alia aliis locis, levia facere –, ut adiectivum *levia* sit loco adverbii, quod saepissime occurrit in *Sallustio, Cat.* 26. 5. – aspera foedaque evenerant, – item *Iug.* 29. 5., 85. *fine,* 88. 6, 94. 2., 113. 5., *Horat. C.* 1. 2. 45.

C. 89. 7. « Numidae plerumque lacte et carne ferina vescebantur... pabulo pecoris magis quam arvo student » Idem de Britannis interioribus tradit *Caesar B. G.* 5. 14. – Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt –

C. 91. 1. « Quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas aequaliter distribuerat, et ex coriis utres uti fierent curabat: simul inopiam frumenti lenire et ignaris omnibus parare quae mox usui forent » Aliqui Codices habent – simul *et* inopiam lenire –, quam lectionem recipit *Burnouf.*, quod tolerandum esset, sed inde elicit interpretationem non satis probabilem, dum explicat – nempe dum carne pecorum aleret milites, et ex coriis utres conficeret, duo *simul* obtinebat, alterum ut inopiae frumenti mederetur, alterum ut omnia parata haberet, nec suum tamen consilium quisquam deprehenderet. Nam milites credere poterant utres confici, ne coria perirent –. Interpretatio ne probetur plura suadent; Ut taceam pecore distributo leniri inopiam non frumenti sed cibi, quis extimet a *Sallustio*, brevitatis studioso, explicatum pluribus verbis id de quo nemo dubitaret, nempe pecus distributum esse quotidie per centurias et turmas ut ea carne vescerentur milites? Deinde qua ratione verbis illis – ex coriis utres uti fierent curabat – inesse dicitur occultum illud ducis consilium? Occultabat sane Marius propositum Capsae potiundi, sed cum iter faceret per loca siticulosa, quid putarent milites aliud de utribus, nisi ut aqua essent

implendae? Scimus utres quandoque factos oneris levandi causa in traiectu per aquas, *Sallust. Hist.* 3. 19., *Frontin. strat.* 3. 13. 6., *Flor.* 1. 40. 16., sed factos ut coria servarentur, ignoro. Denique Latinitas interpretationem non patitur, quia dum aliquid narratur in priori membro orationis, et alterum incipitur adverbio *simul,* novum aliud, praeter narrata, intelligitur additum, diversi generis ab iis quae praecesserunt; vide *Cat.* 17. 7., 19. 2., 56. 5., 20. 3., 58. 3., *Iug.* 4. 2., 46. 1., 14. 1., 56. 4., 65. 5., 103. 7., 106. 2., 109. 1., 76. 2., 102. 12., *Hist.* 2. 23. 2., *Tacit. Annal.* 4. 24., *Caesar B. G.* 7. 73.; nec mutatio ab indicativo *curabat* ad infinitivum *lenire,* patitur ut *simul* habeatur pro causa antegressorum, cf. *Iug.* 100. 3.

C. 91 fin. « genus hominum (Numidarum) mobile infidum, neque beneficio neque metu ante coërcitum » Quasi hic de solis Capsensibus agatur, *ante* in suspicionem adducunt, et ideo delent, *Cortius, Burnouf., Gerlachius* et *Dietschius Comm.* 4. *p.* 89. qui intelligunt, post *Perizonium* ad *Sanctii Minerv.* 1. 15., *coërcitum* esse pro *coërcendum,* ut *invictum, incorruptum,* more verbalium graecorum in τος, ut ἀτέλεστος qui non perfectus est aut qui *perfici non potest.* Sed in exemplis adductis ideo fit transitus a praeteriti ad futuri et *potentialis* significationem quia nunquam ante quis victus aut corruptus, aut res ea non facta est, ut facile ad futurum mens transcurrat; quod idem probat *coërcitum* non potuisse intelligi eo modo quo volunt, Interpretes, si nunquam ante coërcendi fuisset occasio, ut infectum de Metello *Iug.* 76. 1. perperam esset dictum si is in aliquo antea defecisset. *Gerlachius* quamquam Perizonium sequatur, tamen mecum facit dum dicit – qui enim *nunquam* haud temere *coërcitus* est, neque facile *deinceps* coërceri potest –

Sed facile patet hic agi non de Capsensibus modo, sed de toto genere Numidarum, quorum ingenium generatim describat *Sallustius,* ut fecit *Iug. C.* 46 – sed Metello iam *antea* experimentis cognitum erat *genus Numidarum* infidum ingenio mobili – et *C.* 66. – volgus Numidarum ingenio mobili, seditiosum –; nec ulla ratio suberat cur de

Capsensibus solis haec dicerentur. Haud secus *Caesar*, etiam cum de una aliqua civitate loquitur, ad mores totius regionis transcurrit, singularia ex universalibus aestimans; vide *B. G.* 3. 8., 3. 10., 3. 19., 4. 5., 6. 11., 7. 22., 7. 42. Cum cetera sint expedita, difficultas est in verbis – neque beneficio – quia non satis appareat quae sint aut esse possint beneficia in Numidas. Si difficultatem removere non placet intelligendo, nomine beneficii, mollitiam populi senatusque Romani, qua Iugurtha tot scelerum auctor semper impunitus abierat, *C.* 13. *et seq.*, quod longius esset petitum, credo removeri posse per ea quae observavimus *Cat.* 11. 3., ut verba valeant – *nunquam ante ullo modo* coërcitum –

C. 92. fin. « milites neque pro opere consistere propter iniquitatem loci, neque inter vineas sine periculo administrare » *Burnouf.* *pro opere* interpretatur *in opere,* quia non verisimile est milites *ante* vineas positos fuisse ad eas tutandas, quum contra vineae ad tutandos milites struerentur, et addit exemplum *pro suggestu, pro tribunali* ubi *pro* significat *in. Gerlachius* notat Codicem Taurinensem habere *prope consistere* et lectionem non esse negligendam, *opus* vero pro machinis, et maxime vineis, dici ex multis locis a *Cortio* laudatis. Meo quidem iudicio, praepositio *pro* non significat *ante* vineas, nec item *in* vineis, et aliena sunt exempla *pro castris ante castra,* pro *suggestu in suggestu,* nam aliud est locus, aliud res quae agitur; *pro opere* interpretor *in opere,* quod erat vineas, quae cum ingenti periculo agebantur per locum importunum, statuere; *Caesar B. G.* 3. 28. – Ad quarum initium silvarum cum Caesar pervenisset, castraque munire instituisset, neque hostis interim visus esset, *dispersis in opere nostris*, subito ex omnibus partibus silvae evolaverunt, et in nostros impetum fecerunt – *idem ibid.* 7. 24. – Tamen quod, instituto Caesaris duae semper legiones pro castris excubabant, pluresque partitis temporibus erant *in opere,* celeriter factum est ut alii eruptionibus resisterent etc. –

C. 93. 2. « animum advortit inter saxa repentes cocleas » Idem « quod animadvertit, aut advertit (vertit) animum ad. Hec constructio verbi duobus accusativis vix

usitata huius aevi Scriptoribus; saepe tamen invenitur in *Plauto*, quem cf. *Amphitr. prol.* 38., *Curcul.* 2. 2. 20., *Mostell.* 2. 2. 52., *Pseudol.* 1. 2. 10., 1. 2. 23., 1. 3. 43., *Trin.* 4. 3. 39., *Terentius* vero cum infinitivo *Phorm.* 5. 7. 16. – postquam tantopere id vos velle animum advorteram –, cui consentit *Sallust. Iug.* 35. 8.

C. 93. 3. « more ingenii humani cupido difficilia faciundi animum vortit – *Cortius* pro *vortit invadit*, alii *incendit*, *accendit*, *cepit*, *advertit*, *animadvertit*, quisque secutus quos vult Codices. *Dietschius* et *Gerlachius* tenent lectionem suprapropositam. Sed quoniam *Gellius* 9. 12. *fin.* profert ex *Sallustio* – more humanae cupidinis ignara visundi – et *Nonius p.* 88. habet – Sallustius in Iugurthino bello: amore humanae cupidinis ignara visundi, (vide *Dietschiun Hist. inc.* 94.), aliqui, inter quos *Burnouf.*, legit – more humanae cupidinis ignara visundi animum vertit – intelligens – solo legendi cochleas studio allectus summum prope rupis attigit, postea mutavit consilium et ignotam castelli positionem propius inspicere voluit –. *Gerlachius* ait – animum vertit dictum puto pro *eius animum implevit*, ut totus in hac re esset; mutationis notio, quae huic verbo inesse solet, plane negligenda –. Animum vertit, absolute positum, non potest intelligi *animadvertit*, sed nec animum implevit, quod negat verbi proprietas. Interpretationem *Burnouf.* adiuvat affinis locutio – animum, ingenium flectere – quam habet *Sallustius Iug.* 9. 3., 62. 6., 64. 3., 102. 15.; res non repugnat, in homine scilicet a re ludicra ad graviorem converso.

C. 93. 4. «Ligus castelli planiciem perscribit» Codices admodum variant; *praescribit* aut *perscripsit* communius; alii, in... planiciem *pervenit*, *Orellius* tuetur *perrepsit*, *Dietschius* ex coniectura et nullo Codice adstipulante, *perscrutatur*, sed in *edit. min.* anni 1874. *pervenit*; *Gerlachius* in *priore edit. perscribit*, in *minore* anni 1856. *pervenit*. Qui tenent *perscribit*, interpretantur – animo scilicet – idest *memoria*. *Linkerus* et *Kritzius* probant *Orellii* coniecturam; vide *Dietsch. Comm.* 5. *p.* 129. et 1. *p.* 14. *nota n.* 1., ubi multas alias Codicum lectiones affert, quae maxime

conveniunt in *perscribit, inscribit, scribit, describit.* Credo *pervenit* esse a glossatoribus, quibus *perscribit* non satis liqueret, et huc illatum a posterioribus verbis *C.* 94. 3. – tandem in castellum *perveniunt*, – quod ibi idoneum quia agitur de militibus qui propositum habebant *perveniendi,* et diu multumque fatigati tandem *perveniunt;* cum contra Ligus, sola explorandi aut tentandi cupidine tractus, quasi casu planiciem oblatam vidit. Et pervenisse Ligurem non satis idoneum est loco, quia statim adiicitur causa – quod cuncti Numidae intenti praeliantibus erant –, quae causa magis indicat datam ex eo facultatem visendi sine molestia, quam perveniendi. Mihi placet *perscribit,* non tamen ut sit *mandare memoriae*, sed amplius signis quibusdam, rudibus si velis, (*τοπογραφίαν* vocant), describere, quo Ligus maiorem fidem, in re tanti momenti, apud Marium sibi faceret, remque non verbis tantum sed et loci figura demonstraret. Si de epistola res esset, aut de rebus actis, *perscribere* significaret *litteris tradere, Livius initio hist.,* Caesar *B. G.* 5. 47. *fin.*; hic ubi agitur de *loco* nil aliud videtur esse quam signis delineare; Graecis, eadem praepositione, διαγράφειν. Non dissimulabo tamen locum *Ciceronis* de *Orat. Lib.* 2. *Cap.* 88. (359), qui ab aliis, credo, non est animadversus, ubi de *memoria* agens dicit – Vidi ego Charmadam divina prope memoria et Sceptium Metrodorum, quorum uterque tamquam litteris in cera, sic se aiebat, imaginibus, in iis locis quos haberet, quae *meminisse* vellet, *perscribere.* – Sed ibi Cicero et de *memoria* sermonem proprium instituit, et multa addit quae rem demonstrent, v. CC. 86. 87. (352 ad 358). Etiam Graeci cum verbum γράφειν ad memoriam transferunt, adiunctis aliis vocibus perspicuum faciunt, *Aeschyl. Prom.* 788, *Soph. Philoct.* 1356, quos affert *Gerlachius.*

C. 93. 8. « itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque quam velocissumos delegit, et cum his, praesidio qui forent, quattuor centuriones, omnesque Liguri parere iubet. » Quamquam milites ad id negotium delecti magis terrendo quam impugnando essent, et locus non pateretur amplum numerum, tamen, ut Interpretes

observarunt, ab omni veri specie abhorret tam pauco numero, (novem omnino hominibus) eam provinciam esse mandatam, praesertim collato *Frontino stratag.* 3. 9. 3. Singulares quidam Codices, et inter se dissentientes, habent *numero quinque milium* aut *quinque milia,* aut *duu multi,* unde aliqui quaesiverunt vocem *milites,* et *Oudendorpius* composuit hanc lectionem - Itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque, militesque quam velocissimos delegit. - *Linkerus* assensus est lectioni. *Dietschius Comm.* 2. *p.* 27. vocem *milites* transfert, et alia verba addit ita - et cum eis, praesidio qui forent, *milites paucos* et quattuor centuriones -, sed in *edit. min. anni* 1874, coniecturae suae diffidens, lacunam relinquit. *Iordanus,* ut coniicio ex paucis verbis *Dietschii* in *praefatione ad edit min. p. XII.*, locum sanare contendit, una particula *et* interposita, legens, credo - et cum his praesidio qui forent, *et* quattuor centuriones -, quod quamquam acumen viri demonstret, tamen aliquid praesefert incommodi, in quo non immoror, quia stultum esset sententias et rationes alterius, quas ignoras, impugnare.

Mihi visum est exitum difficultati reperiri posse, nihil immutatis verbis quae plurimorum Codicum auctoritate firmantur, si quattuor centuriones intelligantur *cum sua quisque centuria*, nomine ipso demonstrante; nam et ita centuriones accipiuntur *Cat.* 59. 3., *Iug.* 38. 3. *et* 6, et quae hic sequuntur C. 94. 1. rem exploratam faciunt. - Ceterum illi qui *centuriis praeerant* -, quae lectio frustra mutatur in - illi qui escensuri erant -, vix unius aut alterius Codicis fide; nam omnes escensuros esse, si vellent planiciem assequi, res erat ipsa quae agebatur, ideo nihil causae cur memoraretur. Centuriones vero, ita intellecti, conflabant totam vim delectorum, praeter quinque illos cornicines. Alia est non incongrua lectio quam habent duo Codices - qui e centuriis erant. -

94. 1. « Sed ubi ex praecepto tempus visum. » *Ex praecepto,* ita absolute positum, credo significare non praeceptum datum a Mario, (ut vult *Burnouf.)* quia de eo nihil ante, et *ubi tempus visum* obstare videtur; sed potius *ex*

composito inter Marium et Ligurem, vide *Iug.* 109. 3. - tum Rex, uti *praeceptum* fuerat, post diem decimum redire iubet. -

C. 94. 2. « si quae vetustate radices eminebant » Vetustas enim efficit ut quae radices arboris novae prius inferiora petiverunt, *Horat. Epod.* 12. *vv.* 19. 20., postea ad latera propagentur, et ita emineant; inde non mutandum *vetustae*. Quamquam *Plinius H. N.* 16. 31. doceat non omnium arborum aequam esse in radicibus agendis naturam.

C. 94. 5. « repente a tergo signa canere: ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere, deinde uti quisque muro proxumus erat » Mulieres et pueri *intra muros constituti*, improviso clangore exciti processerant ad locum unde clamor veniebat, visuri quid res vellet, cum nihil de hostili incursu suspicarentur; re comperta in fugam se se dederunt. *Burnoufus* vero censet mulieres et pueros *exiisse e muris* praelium visuros quod cum Mario committebatur, et audito tubarum sonitu *se recepisse in muros;* quod non probo, quia hoc fuisset virilis audaciae, alienae in illa aetate et sexu.

C. 95. 3. « Sulla litteris Graecis et Latinis iuxta atque doctissimi eruditus » Egregiam *Iordani* coniecturam qua *doctissimi* pro *doctissime* positum est, iure commendat *Dietschius edit. min.*

C. 95. 3. « ad simulanda negotia altitudo ingenii incredibilis. » Verba haec digna fuerunt quae multos doctos viros exercerent, non enim adeo expeditus est eorum sensus. *Gerlachius simulare negotia* interpretatur - eius (Sullae) consilia haud quisquam facile intellexit. - *Dietschius Com.* 2. *p.* 28., ait rectissime ostensum a *Kritzio* altitudinem ingenii esse eum habitum ex quo nullo modo quid vere mente agitetur cognosci possit; item tenet negotia hic eadem esse quae supra - tamen ab negotiis nunquam voluptas remorata -, atque demum collato loco *Cat.* 5. 4. - cuiuslibet rei simulator ac dissimulator - proponit legendum - ad *simulanda* ac *dissimulanda* negotia -, dum *Kritzius simulanda* mutat in *dissimulanda*. Certe quam-

berna propter commeatum in oppidis maritumis agere *decreverat.* – Librarii multa supplendi causa commenti sunt, et Codices exhibent, *in hiberna proficiscitur, in hiberna... id,* plures *in hiberna... it;* dicendum ne sub hoc latere *hiberna init?* namque *agere* hiberna est agere tempus hi-hibernorum, *inire* est eius temporis initium facere; Cf. *Iug.* 44. 3. – aestivorum tempus – et *Hist.* 2. 28., *Caesar B. G.* 3. 2., 5. 22. hiemem agere –; nisi mavis dictum de loco; cui rei non obstant verba *uti coeperat;* nec enim aliud coeperat Marius nisi proficisci, C. 97. 3.; postea hibernorum loca est ingressus, *hoc cap. n.°* 1, tandem exercitum in hibernis composuit *C.* 103. *princ.;* quia vero iter fiebat in loco hostili, ideo contra omnes incursus paratus incedebat.

C. 101. 6. et 7. « simul gladium sanguine oblitum ostendere quem in pugna satis impigre occiso pedite nostro (Iugurtha) cruentaverat. Quod ubi milites accepere magis atrocitate rei quam fide nuncii terrentur. » *Burnoufus* hic – adeo impigre et *celeriter* ut Romani scire non possent gregarii militis esse sanguinem quo gladius imbutus erat. – Nec *impigre* id vult, nec fides nuncio habita fuerat; solum atrocitas casus qui nunciabatur cum iactantia, Romanos perculerat, quasi omen aversantes.

C. 102. 5. « simul nobis demeres acerbam necessitudinem. » *Dietschius* – demsere – ex uno Codice contra omnes; quod infirmat orationem, ad deos transferendo quod ex Boccho est, et illam vertendo ab obliqua in directam. Oratio vult – gaudemus quod, dis monentibus, pacem quam bellum aliquando mavis, ne te commacnlares, etc., simul nobis demeres etc. – vide *Hist.* 2. 41. 9. *Orat. Cottae*, et usum adverbii *simul,* quod solet continuare orationem aliquo addito ad ea quae proxime praecesserunt, secundum *observata* ad *Iug.* 91. 1.

C. 103. 2. « Tum rursus Bocchus feliciter, seu reputando quae sibi duobus praeliis venerant, seu admonitus ab aliis amicis etc. – *Dietsch. Com.* 5. *p.* 131. pro *feliciter* recipit *flectitur,* ex uno Codice, ubi hoc est supra scriptum, et quoniam postea hiat oratio, ante *ex omni copia* ponit

de suo *igitur*. Sed servanda videtur lectio communis *feliciter*, quod adverbium non Grammaticus ardens amore Romanorum, sed *Sallustius* posuisse censendus est. In illo quidem vestigio temporis salus Romanorum posita erat, qui, nisi Bocchum avortissent a Iugurtha, adhibito dolo ubi virtus non profecerat, frustra belli finem expectassent. Etiam in *Catilina*, 41. 3., per Allobrogum indicium servata Republica, dum illi incertis consiliis in utramque partem traherentur, *Sallustius* ait - haec illis volventibus, tandem vicit *fortuna* rei publicae -. Nec vero post *igitur* recte servabatur *delegit* et *iubet*, sed dicendum erat *deligit* ac *iubet*. Ex *edit min. Dietsch. anni* 1874, video nunc *Iordanum* pro lectione *feliciter* argumenta protulisse quae *Dietschium* flexerunt ad delendum *flectitur* et *igitur*.

C. 106. 2. « simul, uti noctu clam secum profugeret rogat atque hortatur; ille animo feroci negat etc... ceterum ab eodem monitus uti noctu proficiscerentur consilium adprobat. » Sulla turpe fugae nomen recusat, profectionem honestiori nomine, probat.

C. 108. 2. « consulta sese omnia cum illo integra habere » Dubitandum *consulta* hic esse omnia quaecumque consulerentur, an ea quae iam consulta essent intelligantur. Video Bocchum pétiisse a Mario uti Sullum ad se mitteret cuius arbitratu de communibus negotiis consuleretur, *C.* 105. *princ.*; sed, statim colloquendi locus non fuit, et solum per Maurum Dabarem nunciatum est Sullae, Bocchum paratum esse facere quae populus Romanus vellet, *C.* 108.; colloquium postea habitum est, multis a Boccho promissis, ut patet ex toto *C.* 110. Inde verba ab Interpretibus intellecta sunt de eis quae consulerentur, hac sententia - integrum est mihi quidlibet consulere - nulla sponsione teneor erga Iugurtham quin libere tecum consulam -, quae interpretatio mihi videtur verbis non respondere, quia *consulta omnia cum illo integra habere*, ostendunt aliquid iam consultum esse, ut *Iug.* 11. 5., et 92. 2.; tum quia *integra habere* significat nihil consultis detrahere *Iug.* 110. 4. Quae si vera sunt, et servatur *praesens* habere, necessario sentiendum videtur *consulta* intel-

ligi quae Bocchus promiserat per internuncium Dabarem, i. e. se se paratum facere quae populus R. vellet. Sed hoc non satis mihi probatur, quia colloquium adhuc expectabatur. Qua propter censeo legendum cum *Codice* g^3 – consulta se se omnia cum illo integra *habiturum* – hoc sensu – integra fore i. e. se servaturum quaecumque in colloquio consuluissent – ut postea *C.* 111. 2. dicitur – ex voluntate Sullae omnia se *facturum* promittit –

C. 114. 2. « Illique et inde usque ad nostram memoriam Romani sic habuere, alia omnia virtuti suae prona esse; cum Gallis pro salute non pro gloria certare » Nomine Gallorum Cimbros et Teutonos hic significari omnes consentiunt ex fide et testimonio historiae; praeter adductos *Liv. epit.* 67., *Vellei. n.* 12., *Florum* 3. 3., *Tacit. M. G.* 37., etiam *Caesar B. G.* 1. 33. et 1. 40. testis est – factum eius hostis periculum patrum nostrorum memoria. quum Cimbris et Teutonis a C. Mario pulsis non minorem laudem exercitus, quam ipse imperator meritus videbatur – *Cicero Prov. Cons.* 13. – C. Marius influentes in Italiam *Gallorum* copias repressit. – Constat sane ex *Tacito M. G.* 2. nomen Germaniae recens esse et postea additum, quo factum est ut Germani et Galli, Graecis communi nomine appellarentur Κέλται, et a priscis scriptoribus Latinis, Gallorum nomen Germanis et Gallis fuerit promiscuum. *Caesar B. G.* initio ait – tertiam (partem Galliae) incolunt qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur – Sed postea, cum ei proprium esset situm et mores eius regionis prosequi, nunquam non Gallos a Germanis distinxit. Distinguit et *Strabo Geogr.* 7 *initio,* cum tamen testetur Germanos a Gallis parum differre forma moribus et victu; praeterea propinquitas faciebat u alteri alterorum fines saepe transgrederentur, et ita affinitates inter se miscerent et linguam communem haberent, vide *Caes. B. G.* 1. .31 et *seq.* et 53., 2. 3., 4., 4. 1. et *seq.*, 6. 2. et 11. *seq.* et 24., 7. 77., *Tacit. hist.* 3. 14., 4. 73., de *M. G.* 28., 43., 45. Locum Caesaris 6. 24. respicit *Tacitus M. G.* 28.

C. ult. « Ea tempestate opes atque spes civitatis in illo (Mario) sitae ». *Spes et opes* plerumque coniunctae,

Cat. 21. 1., *Iug.* 10. 1., 107. 4., *Hist.* 2. 96. 2. Forma haec dicendi adhibetur cum, rebus desperatis, vita et salus in uno aliquo ponitur, *Terentius Adelph.* 3. 2. 33., *Phorm.* 3. 1. 6. Marium *Cicero* pro *C. Rabirio C.* 10. vocat patrem patriae, parentem libertatis ac rei publicae, et quasi deum habet. Nec minus Mario quam sibi scripsit aliam laudem in *Orat. pro Sulla cap.* 7., cum ait, ex municipio Arpinate iterum salutem urbi imperioque R. extitisse.

FRAGMENTA EX LIB. 1. HIST.

Fr. 10. « sed uti quisque locupletissimus et iniuria validior, quia praesentia defendebat, pro bono ducebatur » pro *praesentia*, *Dietschius* vellet *placentia.* Opportunum videtur *praesentia,* quippe, ut ait *Sall.* in *Cat.* omnes rerum mutationes caedem fugas atque alia hostilia portendant, et nonnisi quibus opes nullae sunt, odio suarum rerum mutari omnia student, vetera odere, nova exoptant; ita plerumque fit ut dum Resp. laborat diversis partium studiis, periculosius sit statum praesentem dimittere quam illi acquiescere. Ea esse solet hominum natura, ut paucis tutior videatur periculosa libertas quieto servitio, quod dicit alicubi *Tacitus,* Cf. *Iug.* 41. *fin.* et *fr.* 1. 41. 7. Nec tamen qui ita *praesentia* defendit bonus est, sed pro bono *ducitur.*

Fr. 13. « omnium partium decus in mercedem corruptum erat » Ex *Arusiano,* qui locum affert ut statuat – in illam rem pro causa illius rei –. Non satis constat quid sit decus corruptum *causa mercedis,* nisi merces habeatur pro quaestu, studio pecuniae quo decus, et generosi sensus corrumpuntur. Sed quia merces, ut praemium ac pretium operis, *arti* debetur, suspicor scriptum fuisse – omnium *artium* decus – cf. *Cic. pro Muren.* – ne *ars* tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad *mercedem* atque quaestum. – Nec tamen placet lemmatis deductio, quia nusquam auditum est praepositionem *in* cum accusativo habere significationem *causae;* magis putarem velle propensionem ad aliquid, ut sit – o-

mnium partium decus corruptum erat *ad* studium pecuniae idest ut pecuniam quaererent –, vide *observ. ad Cat.* 57. 4.

Fr. 16, « bellum irritare » (Ex *Nonio)* i. e. provocare, tractum a canibus qui cum provocantur irriunt. Credo lapsum typographi qui edidit *irruunt;* vide *Lucilii* reliquias *Satirarum lib.* 1. *n.°* 23, ex *Dousa* – irritata canes quod, homo quam, planiu' dicit – et *Donatum* ad *Terentii Phorm.* 2. 4. 18. qui verba pariter affert ex *Lucilio,* ita – inritata canis quod homo quamplurima dictat. – Versus restitutus est a *Scaligero.* Vide item *Charisium l.* 1.

Fr. 18. « maxumeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi » Vide in *Mithrid. epistola lib.* 4. *fr.* 61. 19 – nos suspecti sumus aemuli et in tempore vindices *adfuturi* – et *lib.* 1. *fr.* 48. *Orat. Philippi n.°* 8. – Mithridates diem bello circumspicit. – A Mithridate qui per 40 annos restitit Romanis, *Florus* 3. 5., non aliud quam bellum expectabatur.

Fr. 23. « inde ortus sermo percunctantibus utrimque: satin' salve? quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis agerent? » *Donatus ad Terentii Eunuchum* 5. 6. 8. afferens haec e *Sallustio*, ait *salve* esse hic adverbium significans *integre*, *recte*, *commode. Gronovius ad Plauti Stich.* 1. 1. 10. hoc adverbium non concoquit, et vult legi *satin' salvae,* intellecto satin' salvae *sunt res?* ut in *Plauto Mercator* 5. 2. 48. – sanam et salvam – suppleri debet *esse scio;* et praeterea etiam adverbium poscit suppleri – satin' salve *agis?* – Vide *Plautum* et in *Trinum.* 4. 4. 5., 5. 2. 53., *Menaechm.* 5. 2. 26. ubi *Gronovius* pro *salve* legit *salva,* motus bonis rationibus. *Brissonius* pro adverbio stat, et hinc inde Docti diversas partes tenent, nec *Forcellinus* vult iudicium suum interponere, contentus dissensum Doctorum indicasse. – *Gronovii* sententia verior videtur, quia planum sit perspicere ellipsin, ut in compellatione familiari, et quia plerumque compellans de *omni re* quaerit, non de valetudine et habitu solum; vide praeterea *Terentium Eun.* 2. 2. 37., 3. 5. 11., 5. 1. 18., *Adelph.* 4. 5. 9., 5. 8. 14., *Heaut* 4. 3. 29., 5. 1. 68., 5. 2. 33., *Andr.* 4. 4. 10., *Plaut. Epid.* 1. 2. 21., *Rud.* 1. 2. 83.

Fr. 37. « Insanum aliter sua sententia atque aliarum mulierum. » *Burnouf.* notat ex *Debrossio.* – Uxor Lepidi epistolis, quae in manus viri fortuito inciderunt, ad moechos suos scribebat, Lepidum alioquin insanum et sibi *et* aliis mulieribus videri. – *Dietschius* corrigit – *atque* adulterarum. – Credo, contra alios qui particulam atque coniunctivam putant, coniungendum esse *aliter atque,* ut significet *diverso modo,* Cf. *Iug.* 7. 3., 72. 1., *Terent. Adelph.* 4. 3. 6., *Heautont.* 2. 3. 23., *Plaut. Poen.* 5. 4. 12.; ita et *pariter atque Iug.* 46. 6., 100. 1. et 5.; solent scilicet de viro *diversa* esse iudicia uxoris et aliarum, quas amat, mulierum. De Sullae adulteriis vide *Plutarchum comp. Lys. cum Sulla c.* 3.

Fr. 41. 4. *Oratio Lepidi contra Sullam.* « Nam quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque et Antiocho defensum est aliud quam libertas? » Acerrimos hostes Romani imperii coniunxit et *Horatius C.* 3. 6. 35. – Pyrrhumque et ingentem cecidit Antiochum Hannibalemque dirum. –

Fr. 41. 5. « saevus iste Romulus. » Perperam aliqui corrigunt *scaevus,* quia et scaevus a vulgari usu loquendi nimis abhorret, neque hic nomen Romuli est adiectum in bonam partem, quasi, epitheto, laudis notio tollatur, sed omnino in malam; duo scilicet erant in Romulo vituperanda, quod *rex* fuisset, deteriori sensu, de quo vide *obs. ad Iug.* 31. 26., quod *saevus,* praesertim in nece fratris immerentis, cui rei *Horatius* tribuit omnes Romanorum secutas calamitates. Et probri non honoris causa solent ita adiici nomina cuiusdem noti aliquo insigni dehonestamento vel corporis vel animi. Cf. *lib.* 1. *fragm. n.°* 42. – Tyrannumque et *Cinnam* adpellans –, quod aliquando factum est praemissa praepositione *sub,* ut in *Plauto Pseud.* 2. 2. 13. – Tune es Ballio? Ps. imo vero eius sum Subballio. – *Cicero ad Att.* 1. 10. *Submarium* dixit quasi alterum Marium crudelitate et imperii cupidine. Non multum distat *Fusidius ancilla turpis Hist.,* 1. 41. 21, et *fragilis Pediatia, Horat. Sat.* 1. 8. 39., *Terent. Eunuch.* 2. 3. 65. – inhonestum hominem ... senem *mulierem.* – vid. et *Cic. de Or.* 68. *fin.*

Fr. 41. 7. « nisi forte speratis taedium iam aut pudorem tyrannidis Sullae esse, et eum per scelus occupata periculosius dimissurum. » De cuius periculo hic agit? reipublicae an Sullae? nam potest intelligi reipublicae quia praecessit - dum vos metu gravioris servitii a repetunda libertate terremini - et quod otio frui non sit conditio nisi omnino cives acquiescant servitio, ut in *Oratione Macri lib.* 3. *fr.* 61. *n.*° 13. Sed sententia magis de Sullae periculo agi indicat, quippe omnis iniuria gravitate tutior est, ut in eadem *Oratione Macri n.*° 13. et *Iug.* 31. 14. - quam quisque pessume fecit tam maxume tutus est -, quo respicere videntur verba hic sequentia - nihil gloriosum nisi tutum. -

Fr. 41. 20. « neque iam quid existumetis de illo sed quantum audeatis vereor, ne alius alium principem expectantes ante capiamini, (non opibus eius quae futiles et corruptae sunt, sed vestra socordia,) quam, captum ire licet et quam audeat tam videri felicem. » Locus difficilis et multis obnoxius Interpretum sententiis et correctionibus, qui quotiescumque illum denuo attigerunt, sibi ipsi diffidentes, in alia mutarunt. Deterrima ex omnibus videtur lectio - quam captum ire licet ei quem audias tam videri felicem -, quam probat ex *Orellio Gerlachius;* nec placet *Dietschius* - quam captum ire licet et per quam (aut *quam)* audeas tam videri felicem; nam et contortae oriuntur interpretationes, et *audeas* aut *audias* post multa pluralia - *audeatis* - *ante capiamini etc.* -, dum oratio est ad Populum, videtur intolerabilis. Cum omnes Interpp. diversa conati sint et sentiant, liceat et mihi proponere coniecturam lectionis, in hunc modum - vereor ne alius alium principem expectantes ante capiamini... quam (Sullam) captum ire licet, atque *haud etiam* videri felicem; - hoc sensu - vereor ne vos ante capiamini quam ille capiatur (quod in vestra manu situm est; in quo probo *Burnoufi* interpretationem) et antequam licet eum non amplius videri felicem, si scilicet captus fuerit, (ludit enim in cognomine *felicis*, ut fecit *Horat. Sat.* 1. 2. 45.). Ita non videtur multa vis facta scripturae vestigiis; cum *atque* corrumpi

facile potuerit in *et quam* propter praegressum *ante*, cui iam respondebat aliud *quam*, et adverbium *haud* saepissime inveniatur scriptum *aud*, vel *aut*; *audeat* vero profectum censeri debeat ab *audeatis*, et quae supersunt *eat tam* non longe distent ab *etiam*.

Liceat etiam legere - atque haud eum *iam* - pro *non amplius*, vel - *haud etiam tum* -, nempe eo eventu quo captus fuerit. - Adverbia haec ita fere posita atque ita significantia videre est in *Plauto Truc.* 2. 3. 10., *Epid.* 5. 2. 22., *Persa* 5. 2. 66., *Mostell.* 2. 2. 4., *Terent. Heautont.* 5. 2. 45., *Sallust. Cat.* 2. 1., *Iug.* 40. 1., 51. 2., 54. 5., 63. 6., *Hist.* 4. 15., 2. 21.

Fr. 48. 5. *Oratio Philippi.* « Quid ille ob benefacta coepisset, cuius sceleribus tanta praemia tribuistis? » Codex Vaticanus habet - benefacti -, sed manifestus est ibi error. *Dietschius* lacunam relinquit, probans *Orellii* coniecturam post *benefacti* excidisse accusativum, veluti *gratiam honorem*. Accusativus huiusmodi tolleret aequabilitatem membrorum, quae in eo servatur si *sceleribus* opponantur *benefacta*, non benefacti gratia aut honor, significatione non propria, aut certe dubia.

Fr. 48. 12. *Oratio Philippi* « qui videmini intenta mala quasi fulmen optare se quisque ne adtingat, sed prohibere ne conari quidem » *Dietschius* corrigit *intuentes* mala, motus verbis *Demosthenis Phil.* 3. 33. Iactura verbi *intenta* non est facienda, quia accomodatum est et magis exprimit metum mali imminentis, quam vox *intueri*, quod est ante oculos habere considerare, plerumque e longinquo, ut solem, naturam; inde illud *Virgilii* - *Praesentemque* viris *intentant* omnia mortem. - Obstat etiam similitudo petita a fulmine; quis enim fulmen intueatur? Et diversum est χάλαζα, de qua *Demosthenes*, a fulmine. Etiam *Iug.* 38. 10. *Dietschius* introduxit - mortis metum *intuebantur*, quod in Poëta vix tolerari posset. Confer *Obs. ad Iug.* 38. 10., ad *Cat.* 2. 9.

Fr. 60. « *Earum* aliae paululum progressae nimio simul et incerto onere, cum corpora pavor agitaverat, deprimebantur » *Cf. fr.* 3. 23. - et onere turrium incertis na-

vibus - ubi *Servius ad Virgil.* 1. 576. explicat - incertas pro tardis. - Sed incertum oneris, magis videtur esse propter festinantium et hac illac concursantium multitudinem, non *aeque* translato pondere; naves incertae onere turrium sunt quae cursum non certum habent, dum turres ventis impulsae et parum stabiles nutant, et navim inclinant in diversas partes. In *Horatio Epod.* 11. 20. *ferebar incerto pede* indicat non *tarde* sed *temere* euntem ac dubium consilii. In Virgilio - certos dimittere - videtur esse *tutos*, et quid petant non ignaros, cf. *vv.* 331. *seq. et* 571.

Fr. 62. « Secundum philosophos Elysium est insulae fortunatae, quas ait Sallustius inclutas esse Homeri carminibus - *Acron ad Horat. Epod.* 16. 41. - in quo Oceano sunt insulae fortunatae ad quas *Sallustius* in historia dicit victum voluisse ire Sertorium. -

Fr. 73. « Qui (Celtiberi) se regibus devovent et post eos vitam refutant. » Praeter locum *Caesaris B. G.* 3. 22. de solduriis et devotis Gallorum, est et alius consimilis *lib.* 7. 40. *fine* - quibus (clientibus), more Gallorum, nefas est etiam in extrema fortuna deserere patronos - *Dietschius* vult legi - post eos *occisos* - ut res magis sit perspicua, quo additamento carere possumus, quia et sequens - *vitam refutant* - et adv. *post,* unde *posteri,* rem satis explicant.

Fr. 74. Sertorius portis turbam morantibus, et nullo, ut in terrore solet, generis aut imperi discrimine, per calonum corpora ad medium evasit, dein superadstantium manibus in murum adtollitur. - Non semel hac arte duces evaserunt ad summum murorum, vide *Caes. B. G.* 7. 47.

FRAGM. EX LIB. 2. HIST.

Fr. 13. « neque virgines nuptum a parentibus mittebantur, sed ipsae belli promptissumos delegebant » *Mittebantur* credo interpretandum *dimittebantur,* scilicet non expectabant ut dimitterentur a domo paterna, sed ipsae delegebant. Cf. *Plaut. Poenul. Prol.* 100. - Neque duxit unquam, neque ille voluit mittere. -

Fr. 16. « Quis a Sertorio triplices insidiae per idoneos

saltus positae erant, prima quae forte venientes exciperet·» *Dietschius* addit de suo - forte venientes *in manus* - quia ex *Front. strat.* 2. 5. 31. primi illi effusi sunt in palantes, et nihil tale expectantes. Additioni obstat quod excipere, non palantibus, sed irruentibus, aut saltem obviis conveniat. *Caesar B. G.* 1. 25. *fine.* - Romani conversa signa bipartito intulerunt... tertia ut venientes exciperet. - et 1. 26. - in nostros venientes tela coniiciebant - item 1. 52. - Germani impetus gladiorum exceperunt. - Intelligo, si *qui forte venirent.* Alii legunt *prima fronte.*

Fr. 21. « Saguntini fide atque aerumnis incluti prae mortalibus, studio maiore quam opibus » Antea legebatur - per mortalium studium maiores. - Emendationem, ex Codice, commendat, praeter cetera, locus in *Ep. Pompei lib.* 2. *fr.* 96. 4. - maiore studio quam consilio. -

Fr. 43. « Venti per cava terrae citati, rupti aliquot montes tumulique sedere. » Lectio ut stat probanda, neque recipiendum *concava,* aut *ventis praecipitatis;* Cf. *Lucretium* 6. *vv.* 556. *seq.* qui locus cum *Sallustio* consentit, et nescio an ab aliis sit animadversus; *v.* 576. - Est haec eiusdem quoque magni causa tremoris, Ventus ubi atque animae subito vis maxima quaedam, Aut extrinsecus aut ipsa tellure coorta In loca se *cava* terraï coniecit, ibique Speluncas inter magnas fremit ante tumultu, Versabundaque portatur; post, *incita* cum vis, *Exagitata* foras erumpitur et simul artam *Diffindens* terram magnum concinnat hiatum... Multaque praeterea ceciderunt moenia magnis Motibus in terris et multae per mare pessum *Subsedere* suis pariter cum civibus urbes - et quae sequuntur.

Fr. 53. « e muris canes sportis demittebant. » Recte vidit *Kritzius* hic rem narrari de qua *Appianus de Bell. Mithrid.* 218. *fin. T.* 1. *p.* 367. *edit Amstel.* 1670, cum ad portas Chalcedonis Nudus cum aliis, demissis funibus, sursum tracti sunt. *Appiani* verba ἀνιμήσαντο et καλωδίοις, faciunt ut non sit absurdum coniicere - e muris funes - cum alii *panes, arenas,* vel *caena* velint; et quia in portis res agebatur, totam lectionem constituerem ita - e muris funes portis (3. casu) demittebant. - Si quis vult tueri

canes, praeter *Isidorum* 20. 15. 5. quem laudat *Kritzius*, conferat *Festum* - Catulus genus quoddam vinculi qui interdum canis appellatur. - *Plaut. Cas.* 2. 6. 37. - ut quidem tu hodie canem et furcam feras - et *Curc.* 5. 3. 13. - faciam cum catello ut accubes, ferreo ego dico -; ita et Graecis σκύλαξ est genus vinculi, ut ex *Polluce;* sed *vinculum* magis in servos et scelestos quadrat, ut eo constricti haereant.

Fr. 79. « immane quantum animi exarsere. » *Burnouf.* - possis supplere, immane est -, quod nego, nam tunc subiunctivo opus esset, ut in *Ep.* 2. *ad Caes. de Rep. ord. C.* 2. - immane dictu est quanti... *discesserint.* - Recte *Dillenburg.* ad *Horat.* 1. 27. 6. - immane quantum, ut mirum quantum, adverbii prope vice funguntur. - Similiter *Cicero Oratore* 26. 87. - sales in dicendo nimium quantum *valent.* -

FRAGM. EX LIB. 3.

Fr. 1. « namque his praeter solita vitiosis magistratibus, cum per omnem provinciam infecunditate biennii proxumi grave precium fructibus esset. » Ita lectio apud *Nonium;* Quamquam Viri docti nihil ad rem esse magistratus vitiosos tenuerint, tamen cum sententia sit suspensa, facile cogitari potest annonae caritatem in provincia graviorem factam avaritia magistratuum; vide *Ciceronem* in *Verr. de frumento,* praesertim *cap.* 55. 92. et 93., ubi de caritate et vilitate annonae, Verre avarissimo provinciam obtinente. *Gruterus* ad *Plauti Mostell.* 1. 3. 56. - illa hanc corrumpit mulierem malesuada vitilena - legit hunc *Sallustii* locum *vitimagistratibus,* ut in *Catone vitilitigatores.* Non obest quod in *Cicerone Philipp.* 2. 33. *vitiosus* consul is dicatur, qui creatus est auspiciis impedientibus, i. e. vitiantibus, quod hic sit prorsus alienum; quia si haec est significatio propria in iure augurum, et in comitiis, magistratui creando, non minus propria est in communiori usu *pravi* non *integri, Cato* ex *Gellio* 11. 2., *Cicero* pluribus locis. *Dietschius* emendat - praeter solita

vitiosis agri tractibus —, coniectura quam ex omnibus eligerem, nisi verba *Nonii* possent alio modo comprobari.

Fr. 6. « parte consumpta reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent. » Referunt ad Calaguritanos fame compulsos dum obsidione premerentur, ut scribit *Valerius Maximus* 7. 6. 3. Idem factum memorat *Appianus* ab Atheniensibus a Sulla obsessis; v. *de bellis Mithr. n.*° 195 *p.* 331. Simile quid faciendum suadet Critognatus in *Caes. B. G.* 7. 77. iis qui Alesiae obsidebantur, consumpto omni frumento, quam Caesar vocat singularem ac nefariam crudelitatem. — Facere quod maiores nostri, nequaquam pari bello Cimbrorum Teutonunque, fecerunt, qui in oppida compulsi, ac simili inopia subacti, eorum corporibus qui aetate inutiles ad bellum videbantur, vitam toleraverant, neque se hostibus tradiderunt. —

Fr. 24. 24. « nam qui enare conati fuerant, icti saepe fragmentis navium, aut adflicti alvos undarum vi mulcato foede corpore, interiere tamen. » *Nonius*, *tamen* hic explicat per *tandem*, quod novum est et contra notum adverbii usum cum ponitur in extremo; explico *quamquam* enare conati essent, *tamen* interiere; — vide *Plautum Amphitr.* 1. 1. 241. — verum, ut ut es facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen — item *Epid.* 3. 3. 45., et 3. 4. 79., *Bacch.* 4. 7. 7., *Pseud.* 1. 4. 9., *Terent. Eun.* 2. 2. 12., et 5. 2. 27.

Fr. 32. « non tu scis, si quas aedes ignis cepit acriter, non faciles sunt defensu quin comburantur proxumae. » Credo esse verba monentis ut in *Horat. Epist.* 1. 18. 84. — Nam tua res agitur paries cum proximus ardet, Et neglecta solent incendia sumere vires. — *Dietschius* verba haec quae *Charisius* tribuit *Crispo*, abiudicat *Sallustio*, motus quibusdam rationibus, et praecipue propter eorum colorem, quippe insolitum sit recta oratione positum *non sunt* quod pendet ab *scis*; deinde quia *non tu scis* pro *tu nescis* a nullo prosaico auctore scriptum inveniatur. Nihil culpandum aut indignum *Sallustio* inesse videtur verbis supra allatis. Orationem rectam post *non tu scis*, defendit *Plautus Amphitr.* 2. 2. 71. — *Non tu scis* Bacchae

bacchanti si velis advorsarier, Ex insana insaniorem *facies*. - *Asinar*. 1. 3. 25. - *Non tu scis,* quae amanti parcet, eadem sibi *parcet* parum. - Nec video cur esset respuenda Comici auctoritas, cum manifeste agatur de forma orationis familiari ac proverbiali. Cf. *Cicer. Orator C.* 21. 67. Sed nihil impedit, *non tu scis* putare dictum ab interrogante, ut invenitur in *Plauto Menaechm*. 5. 1. 14. – non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem Graii esse praedicabant? Non equidem scio - et *Asinar*. 1. 3. 63. - Non tu scis? hic noster quaestus aucupii simillimu' st. - Et confert *Horat. Carm*. 1. 15. 21., 3. 20. 1. Posset et legi, levi mutatione, hoc modo - non tu scis *quam* non faciles sint etc. -, nam ita solet concipi hoc genus loquendi, *Horat. C.* 3. 27. 17., *Epist*. 1. 1. 42. *seq*. et 2. 1. 174. Nec minus recte et ex usu loquendi, adhibitum est *non tu scis,* quod differt ab alia forma *tu nescis,* ut differunt *non velle* et *nolle, non posse* et *nequire;* illud enim magis intendit negationem; tum solemne est pronomen ponere post particulam negantem ante verbum; praeter adducta exempla *Horatius Epist*. 1. 4. 6. *Non tu* corpus eras sine pectore. – *Non scire* usurpatum est a *Plauto* etiam *Asinar*. 2. 2. 33. et 34., item a *Terentio Heautont*. 5. 2. 46., et in soluta oratione a *Caesare B. G.* 1. 44. - non se tam imperitum esse rerum ut *non sciret* neque bello proximo Aeduos Romanis auxilium tulisse - et 5. 54. idque adeo *haud scio* mirandumne sit. - *Cicero Orat. Cap.* 1. - atque *haud scio* an nunquam etc. –

Fr. 61. 19. « *Oratio Macri*. « Qui profecto (quini modii) non amplius possunt alimentis carceris; namque ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires, sic neque absolvit cura familiari tam parva res, et ignavi cuiusque tenuissimas spes frustratur » *Gerlachius* legit - et ignaviam cuiusque tenuissima spe frustratur. - Tractum dicitur a *Demosthene Olynth*. 3. circa finem, quod Oratoris dictum proverbii instar est; non solum enim *Sallustius* eo utitur, sed et *Athen. Dipn*. 6. 20. in principio, *Symmachus epist. ad Ausonium lib*. 1., *Hieronymus* in 4. *Ezechielis caput, Libanius in declam. de avaro, Suidas in Lexico;* vide

Casaub. ad Athen. 6. 20. *princ.*, quod eo notavi ne plus aequo obtrudantur imitationes Demosthenis.

Fr. 61. 25. « itaque verborum satis dictum est: neque enim ignorantia, res claudit. » Vide *fr.* 80 – coniuratione claudit – ex *Prisciano,* et *Hist. inc. fr.* 107 – nihil socordia claudebat. – Claudere pro claudicare dictum volunt *Donatus* et *Priscianus;* vide *Donatum* ad *Terentium Eunuch.* 1. 2. 84., *Andr.* 3. 3. 41., *Adelph.* 4. 3. 16., et *Priscianum* 10. *p.* 514. Dubito de hac nova significatione; namque hic, rem claudicare ignorantia, nec loco aptum est, nec ulla necessitate adstruitur, cum sententia optime procedat ita – plura non addo quia rerum statum non ignoratis, nec opus est occulta recludere cum omnia sint aperta. – Bene *Farnabius* ad *Ter. Eun.* 1. 2. 84. affert *Ciceronem de off.* – nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda ut pateat omnibus –; verba fr. 80. consentiunt omnes esse corrupta.

Fr. 61. 26. « non gloria movemini neque flagitio » *Donatus* ad *Terentii Eun.* 2. 3. 90. ita flagitii derivationem tradit – Flagitium more militari dicitur res flagitatione, hoc est increpatione, digna; nam flagitatio a strepitu dicitur, unde flamma et flagella et flagitare, idest personare, intelligimus dici; nam haec omnia sine sonitu crepituque non sunt. – Et favet *Sallustius Iug.* 5. 4. 4. – neque id flagitium *militiae* ducitur. – Communis quidem sit derivatio illarum vocum, quamquam flagitare et flagitium primam syllabam habeant longam, flagellum vero, utpote a flagro, brevem; sed flagitium, quod pro dedecore et probro est, *Sall.* hic et *Iug.* 85. 42., *Hist.* 3. 61. 26., *Horat.* 3. 5. 26., minus habet commune cum flagitare quam cum primitivo flagrare, cum saepe optimi Scriptores usurpent flagrare infamia, rumore malo etc. Credo itaque flagitium magis repetendum a flagrare significatione *ardendi*, *Plautus Casin.* 5. 3. 1. – maximo *ardeo* flagitio – *Rud.* 3. 4. 28. – flagitii *flagrantia.* – *Cicero Ver.* – convivia quae stupris flagitiisque *flagrabant* – et *de Or. lib.* 2. *C.* 2. 11. *invidiae flamma;* cf. *Plaut. Poenul.* 3. 2. 32. *seq.*

Fr. 73. « ac tum maxume, uti solet in extremis re-

bus, sibi quisque carissimum recordari, cunctique omnium ordinum munia extrema sequi. » Viri docti correxerunt *exsequi*, quod tamen diversum puto, nam exsequi munia est ea peragere, sequi munia est ab iis non abhorrere, illa appetere animo, quod eiusdem generis est ac *recordari*. Nec dandum pro certo *extrema munia sequi* esse testamenta obsignare, quod affirmat *Cortius* a plerisque probatus. Aperte, non per nebulas, hoc erat dicendum, ut fecit *Caesar B. G.* 1. 39. 4. – vulgo totis castris *testamenta obsignabantur* – et *Florus,* qui eamdem rem respicit 3. 10. 12. – tantus novae gentis terror in castris ut *testamenta* passim et in principiis *scriberentur* – *Gerlachius* hic – extrema munia, si vim oppositi spectes, pro vilissima dictum esse putaveris, ut in *oratione Philippi,* flagitiorum postremus –, et in *epistola Mithridatis* Archelaus postremus servorum. De alio fortasse hic agitur periculo quam ab hoste qui castris immineat, puta si civitatem morbus aut fames affligat, vel classem tempestas in mari urgeat; tunc enim nemo operam suam recusat pro salute communi, nullo, ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine, nec expectato inferiorum ministerio.

Fr. 77. « fine inguinum ingrediuntur mare. » Similiter *Caesar. B. G.* 7. 47. – Matresfamiliae pectoris fine prominentes obtestabantur Romanos. –

FRAGM. EX LIB. 4.

Fr. 2. « Coria recens detracta quasi glutino adolescebant. » *Lucret.* 6. 1067. – glutine materies taurino ita *iungitur una.* –

Fr. 15. « Cum interim lumine etiam tum incerto duae Gallae mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda montem ascendunt. » Menstrua solvere non est sacrificia facere, quod quibusdam placuit, sed menstruis defungi, quod patet ex *Lucretio* 6. 796., *Tacit. Hist.* 5. 6., et ex ipso sermone. Sed *Plutarchus Crasso* 11. memorat duas mulieres quae sacra facientes viderunt milites Crassi dum collem ascenderent quamquam caventes ne ab oculis cu-

iusquam deprehenderentur. *Gerlachius* observat nihil esse causae cur ad sacrificia offerenda, hominum conventum vitarent illae mulieres. Ad vestigia *Plutarchi* mihi videretur scribendum. – Cum interim lumine etiam tum incerto, conventum vitantibus (militibus), duae Gallae mulieres etc. – Ut vero in reliquis non dissideant *Sallustius* et *Plutarchus,* putandum fortasse est non alienum a patria religione fuisse quod narrat *Sallustius,* ut mulieres tunc temporis sacra facerent cum maxime ab aliis officis vacare deberent; multa enim erat Gallis superstitio in religionibus; *Caesar B. G.* 6. 16. notat. – Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus. – Aliquid etiam eos a Germanis hausisse verisimile est, ut Druidum disciplinam a Britannis, teste *Caesare* 6. 14.; quin Galli, ut vidimus *obs. ad Iug.* 114. 2., *Sallustio* sunt etiam Germani; legimus porro in *Caesare B. G.* 1. 50. Ariovistum in Gallia pugnantem, praelio abstinuisse, quod matresfamiliae sortibus et divinationibus praepositae declarassent, non esse fas Germanos superare si ante novam lunam praelio contendissent – et *Tacitus* de *M. G.* 10. et 11. – Coëunt, nisi quid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, quum aut inchoatur luna aut impletur, nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. – Et quidam sane ex veteribus tradiderunt menses mulierum lunae motum sequi, et in ipso novilunii die fluxum incipere; vide *Hippocr. Comment. Basileae a.* 1579. *p.* 217. Multa et saepe de menstruis narrat Plinius prodigiosa, eaque graviora dum deficit aut silet luna, quem vide praesertim *lib.* 28. *Cap.* 7. *p.* 511. *a n.*° 40. *edit. Santandr.* 1582.

Tempus quod indicant verba *lumine etiam tum incerto,* est antelucanum; vide similem locum *Iug.* 21. 2.

Fr. 41. 17. *Epistola Mithridatis* « peste conditos orbis terrarum » Sunt qui emendant *pesti, in pestem, cum peste,* quod ultimum facit *Dietschius,* quamquam postea deleat, et scribat *pesti.* Ablativum sine praepositione tuentur exempla optimorum Scriptorum, *Plaut. Amphitr. prol.* 32. – propterea pace advenio, et pacem ad vos affero. – *Merc.* 4. 1. 14. – meoque ut parcas nato pace propitius –, alibi

voluptate advenio; *Cicero* 7. *fam.* 13. – Quod tu prior vi hominibus armatis non veneris. – Idem est *pace esse, pace alicuius dicere;* V. *Terent. Eunuch.* 3. 2. 13.

FRAGM. EX LIB. 5.

Fr. 13. « Quibus de causis Sullam in victoria dictatorem uni sibi descendere equo, adsurgere sella, caput aperire solitum. » De honoribus a Sulla habitis Pompeio vide *Plutarchum* in *Pompeio* 8. Caput aperire, praeter *Sen. Ep.* 64., usurpat etiam *Cicero Philip.* 2., vide *Gellium* 7. 11.

FRAGM. EX INCERT. LIBR.

Fr. 3. « Et Metello procul agente longa spes auxiliorum » hic *longa* est longe posita, ut observat *Servius ad Virgil. Aen.* 11. 544. Aliquid differt *spes longa* in *Horatio C.* 1. 4. 15., et 1. 11. 7., nam ibi est eius qui diuturniorem vitam expectat, et multa consilia aevo brevi iaculatur, et, ut ait *Terentius Heaut.* 5. 2. 10., consulit in longitudinem. Memoria longa *Cat.* 1. 4. est in longum aevum mansura.

Fr. 11. « Narbone per concilium Gallorum. – De Gallorum conciliis vide *Caes. B. G.* 5. 56., quae si armata indicerentur, hoc erat initium belli.

Fr. 29. « haud impigre neque inultus occiditur » hoc ex *Donato ad Terent. Andr.* 1. 2. 34. *Gerlachius* dicit locum esse corruptum, quia unum cum altro membro pugnat. Locus tamen recte se habet, si intelligatur repetito *haud* – occiditur haud impigre, neque haud inultus – namque *Donatus* respicit non tantum duas negativas sed etiam tres; verba eius sunt – duae negativae faciunt unam affirmativam; *tres* negativae pro una affirmativa accipiuntur –; versus Terentii editus est ita – ne temere facias, *neque* tu hoc dicas tibi non praedictum –; sed correxit *Donatus*, dum post allata verba *Sallustii* subiicit – Vera ergo lectio est, *neque tu haud dicas;* vera lectio *neque haud dicas*; Plautus in Bacchid. *neque haud* subditiva

gloria oppidum arbitror –; addendus similis locus in *Epidico* 5. 1. 57. – *neque ille haud* obiiciet mihi Pedibus se se provocatum. – *Donatum* sequitur *Faernus*. Sed repetitione expressa opus non est, cum sufficiat intellecta. Exemplum *negativae* praecedentis, in sequenti orationis membro intellectae, est in *Caes. B. G.* 1. 1. – *minimeque* ad eos mercatores saepe commeant, *atque* ea quae ad effeminandos animos pertinent, important – et 7. 30. – *neque* se occultum abdiderat *et* conspectum multitudinis fugerat – Vicissim *negatio* in posteriori etiam ad praecedens referenda, *idem lib.* 3. 4. – ac non modo defesso ex pugna excèdendi, sed *ne* saucio quidem eius loci ubi constiterat, relinquendi ac sui recipiendi facultas dabatur. – *Kritzius haud impigre* explicat *haud facili negotio; Dietschius* emendat – haud impigre *pugnans* –, quo participio non est opus, quippe plerumque adverbia pro nomine ponuntur; et *passive* aut *active* significant, vide active *Iug.* 101. 6. Siquid mutandum, scriberem – haud impiger neque inultus occidit – (intransit.) – Constat omnino agi de homine qui inaudax et inultus animam amisit.

Fr. 75. « Pompeius oris probi animo inverecundo. » Alii legunt *oris improbi*. Rectius opponitur facies animo; rem testantur *Sveton. de cl. Gr. C.* 10., *Plin. Hist. N.* 37. 2., *Sen. ep. mor.* 1. 11. 4. Vide tamen *Ciceronem* pro *L. Corn. Balbo* 4., ubi inter ceteras Pompeii laudes etiam pudorem animi enumerat.

Fr. 100. « Orion oritur iuxta solis aestivi pulsum. » Probabilis est *Kritzii* explicatio *pulsum* dictum esse pro *ictu*, ita enim dicitur pulsus remorum, pulsus imaginum, et *Horat. Ep.* 1. 10. 16. – Leniat et rabiem Canis et *momenta* Leonis –, quam vocem ego interpretatus sum pro *impulsu vi*, in *Obs. ad Horatium Romae ex Typ. Salviucci 1874*, contra alios alia sentientes.



